hoc ei commune, cum multis: illud autem proprium, & peculiare, quod deinde ſuper columnis dicitur habitaſſe: quarum altiſſimam cubitorum XXX. fuiſſe ferunt. In una eum perſtitiſſe anno IV. in alia XII. in alia rurſum XII. in alia iterum IV. & in alia poſtremò, quæ proceriſſima erat, ad obitum vitæ XVI. eas pro pulpitis habuiſſe, ſatis probabiliter videri poteſt: quandoquidem multis ex gentibus rei novitate exciti ad videndum illum confluebant, & ab idolis ad Chriſtum prædicationibus ipſius convertebantur. Inſtitutum illud cùm eſſet non tantùm inſolens, ſed & ſine reliquorum conſilio, aut approbatione ſuſceptum, miſerunt Monachi communi conſenſu quoſdam, qui ipſius conſilium exquirerent, mandarentque ipſorum verbis, ut deſcenderet, hac addita exploratione: Quod ſi ad obſequendum ipſorum moniti futurus eſſet promptus, & facilis, relinquerent ipſum ſuo ſibi arbitrio, haud dubiè enim ipſius conſilium eſſe ex Deo. Sin verò difficilem, & pertinacem ſe eſſet exhibiturus, deturbarent illum vi, & violentia. Legati ergo cùm ad ipſum veniſſent, & vix ſuorum mandata expoſuiſſent, jam ſublato altero pede ad deſcendendum erat paratiſſimus. Quod illi ubi ſenſerunt, arbitrati ſunt ejus obediendi promptiſſimum animum ſatis poſſe eſſe indicio, à Deo eſſe ipſius inventum. Quare ipſi gratulati, & benè precati, curſum, quem cœperat feliciter, ut perſequeretur, hortati ſunt. Vixit in columnis minoribus annos VII. Deinde verò in columna XL. cubitorum XXX. annos vitam egit, & hinc Stylites dictus eſt. Cùm Imper. Theodoſius poſterior aliquando imperaſſet Antiochenis, ut ſynagogas ademptas Judæis reſtituerent: ille miſſus ad Imperatorem literis, acriter ipſum objurgavit, ut ſua mandata non retractaret ſolùm, & Chriſtianis Antiochiæ, quæ ipſis viderentur hac in re permitteret: ſed etiam ipſum præfectum, cujus impulſu ea res inſtituta fuerat, dignitate privaret. Poſt mortem corpus perlatum eſt Antiochiam ſub Leone Imp. magna pompa: exercituum quoque duce cum parte copiarum eam deductionem proſequente, ne qui ex vicinis urbibus cadaver ipſum, quod certatim cupiebant, auferrent. *Evagrius l.5. c.13. & Nicep.l.14. cap.51. & Theodorus Lector l.1. Collect. Marul.l.1.c.9.* Habuit diſcipulum Danielem, qui ex ipſius ſchola egreſſus, magiſtrumque imitatus, ipſe quoque hic novum Monaſticum inſtitutum coluit. *Niceph.l.15.c.22.*

Alypius Cionita miraculoſam vitam in columna egit per annos ſeptuaginta: habuitque ſibi adjunctas tres claſſes canentium, duas Monachorum, & unam mulierum, quæ perpetuos hymnos ad cœlum miſerunt. Propoſuit idem ſuis Monialibus hanc legem, ut nunquam oculis maſculorum aſpicerentur. Eam illæ adeò ſanctè obſervarunt, ut etiam in mortis periculo conſtitutæ, noluerint à parentibus viſitari. *Metaphraſtes in vita Alipii.*

Sabas octavo ætatis anno monaſterium ingreſſus eſt in Cappadocia. Inde annos 18. Hieroſolymam peregrinatus, cum Euthymio celebri Monacho Palæſtino ſe conjunxit. Poſt ejus obitum ſolitudinem Palæſtinæ petiit, ſanationum, & miraculorum donis clarus. Anno ætat.70. reconciliavit Imp. Anaſtaſium Eliæ Epiſcopo Hieroſolymitano. Synodum Chalcedonenſem contra Imper. Anaſtaſium acriter defendit. Obiit anno ætat.94. Juſtiniani Imp.5. Simeon Metaphraſtes, annum agens nonageſimum, ab Ælienſi Epiſcopo legatus Conſtantinopolim ad Juſtinianum miſſus eſt, ut Judæorum immanem crudelitatem, Juliano duce horribiliter in miſeros Chriſtianos graſſantium, averteret, & reprimeret. Sylvanum ſectatorem Juliani, igni concremandum prænunciavit. Arſenio calumniis ſuis, & confictis mendaciis plurimùm Paleſtinis apud Juſtinianum incommodante, rurſus deprecator, & orator ad eum miſſus eſt. Celeberrima & ſplendidiſſima pompa urbi Conſtantinopolitanæ appropinquans, ab Imperatore eſt exceptus. Addit *Niceph. l.17. cap.24.* Juſtinianum, ubi procul advenientem agnoverit, pulcherrimam coronam capiti ejus imminentem conſpexiſſe, quod ipſum & Anaſtaſius olim, cùm ad ipſum veniret, viderit.

Chæremon, Nesteros, Josephus, tres anachoretæ fuerunt ſolitudinis Ægypti ad mare, homines eruditi: velut doctiſſimæ ipſorum de rebus gravibus in pietatis doctrina diſputationes oſtendunt, quas ſub ipſorum nominibus recitat *Caſſian. in Collat.*

Marcum, quem Eremitam plerique dicunt, *Niceph.lib.14. cap.53.* inter illos numerat, qui Theodoſii Imper. temporibus præclari in aſcetica extitere, & quorum doctrina factis quoque conſona fuit, quique in utraque Philoſopia uſi fuerunt, præceptore Chryſoſtomo: quorum etiam in Poeſi nõ parva fuerit gloria. Capite ſequenti in monaſtica eum priùs verſatum ait: quo indicare velle videtur relicto ſtatu monaſtico receſſus eremi ingreſſum: quod eo tempore fuit uſitatum valde. Videtur tamen circa Conſtantinopolim alicubi etiam ipſe egiſſe, ut & Nilus ejus condiſcipulus. Multa poſt ſe eum reliquiſſe ſcripta, idem meminit.

Paphnutius, Scythiotici deſerti pater, & reliquorum eremitarum paſtor, primùm in ſchola cœnobii ab adoleſcentia inſtitutus, relicto iſto vitæ genere in ſolitudinem ſeceſſit, in qua ad extremam uſque ætatem perduravit: atque hinc inditum cognomen Bubali, propterea quòd perraró cæteris in ſolitudine fratribus ſui videndi copiam fecerit, præterquàm cùm pro more ad res divinas congredi fuit neceſſe. Ex quo tamen congreſſu nunquam tantùm ſibi temperavit, etiam nonagenarius, ut vacuus ad cellam ſuam reverteretur, quia urnulam aquæ, cujus per totam hebdomadam uſum haberet, ſuis humeris ſecum portaret. *Caſſian. Collat.3.cap.1.*

Serapion unus ex antiquiſſimis deſerti Scythiæ eremitis, errore Antropomorphitarum ita deſipiebat quadam non malitia, ſed ſimplicitate, ut neque à Paphnutio illo ſuo paſtore in rectam viam reduci poſſet: & quia antiquitate profeſſionis iſtius ſolitariæ cæteros anteibat, & præterea etiam pietate præſtabat, multis ejus obfuit auctoritas, ut eundem errorem etiam ipſius pertinaciùs retinerent. Cùm autem aliquando quendam Photinum diaconum ex Cappadociæ partibus illo inviſendi iſtius loci eremitas ſtudio profectum, diſputantem audiviſſet, valdè graviter, & doctè ex ſacris Scripturis, & totius Orientalis Eccleſiæ conſenſu, de imagine illa Dei, & ſimilitudine, ad quam *Geneſ.1.* homo conditus ſcribitur: motus ejus aſſertionibus, reliquit ſuam de corporali Dei forma opinionem phantaſticam, & acquievit in ſententia Photini, qua ille docebat incomprehenſibilem divinæ Majeſtatis, & immenſam ſublitatem, nulla humanæ formæ, atque corporeæ compoſitione, & ſimilitudine circumſcribi poſſe, ut quæ ſit natura incorporea, incompoſita, & ſimplex. Verùm cùm paulò poſt in gratiarum actionem exurrexiſſet, ſenſit inter precandum ex corde ſuo elabi, atque evaneſcere eam, quam oraturus Antropomorphi imaginem ſibi proponere conſueverat. Conſternatus igitur mente, prorupit in amariſſimos fletus: inſuper & procidens, hanc maximo ejulatu lamentabilem edidit vocem: Heu me miſerum, tulerunt à me Deum meum, & quem nunc teneam non habeo, vel quem adorem, aut interpellem jam neſcio. *Caſſian. cap.3. Collat.10.* De hoc ipſo Serapione narrat etiam Iſaac, & ipſe unus ex iſta eremitarum congregatione, quòd fuerit vir ſimpliciſſimus, qui de ſubſtantia, & natura divinitatis nunquam penitus fuerit eruditus, ſed & ruſticitatis vitio, & antiqui erroris conſuetudine deceptus ſit.

Hor Abbas, cùm ſolitudines incoleret, herbis, radicibus, & aqua contentus, multos vixit annos. Tria præſtitit admiratione digna: nunquam mentitus eſt, nunquam citrà neceſſitatem locutus, nemini unquam maledixit. *Niceph. l. 11.c.34.*

Theonem intra ſuam cellulam clauſam habitaſſe apud Thebaida, non procul ab urbe, atque etiam porrectæ de feneſtra manu tactu infirmos curaſſe: ſed tamen noctibus ad eremum progredi ſolitum, tradunt. *Marul.l.1.c.9.*

Elpidius Cappadox interrogatus à Joanne anachoreta, quid tota vita egiſſet memorabile; Annis quadraginta, inquit, nunquam ſol vidit me comedentem. Tum Joannes: Nec me ait, iraſcentem. *Volat.lib.21.*

Sisinnius Monachus, diſcipulus Elpidii, ſepulcro ſe incluſit, in quo pane, & aqua vixit contentus ad mortem uſque.

Zosimas Sindenus Phœnix in regione Palæſtinæ IIII. annos abſolvit in eremo, contentus cibo tenuiſſimo. Mariam Ægyptiacam, quæ jam 40. annis in deſerto vixerat, orantem à ſolo ſublevari vidit, & flumina ſiccis tranſire pedidus, eamque mortuam tumulavit. Arceſilao viro nobili familiaris oculum uxoris ejus excuſſum curavit oratione. Leonem, qui ei aſinum interfecerat, coegit onus Cæſaream portare. Futurorum quinetiam providus, præſentium gnarus, quamvis procul abeſſet Antiochia, tamen terræmotum Antiochiæ, qui ſeptimo anno Juſtini ſenioris accidit, ſcivit, ac in ipſo momento ſenſit. Subitò enim conſternatus, gèmedundus, tantùmque lachrymarum fundens, ut ipſam terram rigaret, arculam thuris popoſcit: ac toto illo tempore, quo Antiochia terræ motibus concutiebatur, ſacrificans in terram ſeſe projecit, precibuſque Deum placavit. *Evagr. lib.4.cap.7.*

EUTHY-

Euthymium *Niceph. l.16. c.33.* eremi habitatorem fuiſſe affirmat virum, præclarum, & excellentem, dignum cujus certamina, & labores peculiari libro decantentur: ſocium Theoctiſti, Theodoſii, & Sabbæ, cum quibus contra calumniatores, & obtrectatores Chalcedonenſis Conſilii, Xenæam videlicet, & ſimiles utilem Eccleſiæ, & ſtrenuam navaverit operam.

Simeon in Emeſa monachus, ſummus mundi contemptor virtutibus excellentiſſimus, vaticinio clariſſimus, Mauricio imperium prædixit. Cùm terræmotus, qui Phænicem maritimam concuſſit inſtaret, plures columnas in foro flagellans, inquiebat. State, ſaltandum vobis eſt. Quæ flagellatæ non erant, paulo poſt terræmotu corruerunt, reliquis ſalvis. Dæmones fugavit, omnem morbum curavit. Nemini, quo modo Deum coleret, indicabat. Accuſatus de ſtupro ancillæ ſui familiaris, ſuſpicionem auxit ancillæ confeſſio, ejusque vox, quòd ſe hominem eſſe, & carnis flammas ſentire fateretur. Abiit poſteà in deſertum, & cùm tempus pariendi inſtaret, parere illa non potuit. Cùm autem Simeon, qui dedita opera redierat, pro ea orare juberetur: dixit, eam non parituram, niſi priùs verum patrem oſtendiſſet. Quod cùm illa feciſſet, mox peperit, & Simeon ſuſpicione liberatus eſt. *Evagrius lib.6.cap.24.* Puerperæ cibum, & potum jejunanti attulit. Rami ex arboribus, quæ in eo monte naſcebantur, ſuppeditabant ei cibum, & potum.

Thomas in Cœleſyria ſimile vitæ genus cum Simeone exercuit, & Antiochiam venit, ut annuum ſubſidium monaſterio ſuo acciperet: ex ea enim Eccleſia ordinatus fuerat. Anaſtaſio Epiſcopo Antiocheno ſæpe moleſtus fuit: à quo cùm alapam accepiſſet, prædixit illi, & ſibi mortem, quam etiam in ſuburbio Daphane paulò poſt obiit. *Evagrius lib.4.cap.35.*

Marinus, vel Martinus (quem Gregorius in Maſſico Campaniæ monte vitam duxiſſe tradit) tanti ſolitudinem fecit, ut ne quando ulla rerum difficultate, vel dæmonum moleſtia ſuperatus inde recederet, vel ferream catenam, quam ſaxo affixerat, vix ſolubili compede ipſe ſe alligaverit. Attamen B. Benedictus Abbas ubi id reſcivit, volens, ut jugis in deſerto commoratio conſtantiæ potiùs viri, quam ferreis nexibus abſcribi poſſet, protinus nuncium ad eum miſit, inquiens: Si ſervus Dei es, non teneat catena ferrea, ſed catena Chriſti. Quamobrem ille vincula quidem depoſuit: ſed tamen ſpeluncam ingreſſus, aditu obſtruſo habitare cœpit. Deinde etiam diſcipulos aliquot ſecum conjunxit: multiſque præterea miraculis nobilitatus eſt, atque inter ſanctos habitus. *Marul. l.1.c. 9. ex Mar. Scoto.*

Mennæ Samnitum provinciæ ſolitario paucula apum alvearia victum frugalem ſuppeditabant. Eò accedens quidam Longobardus latro, fruſtraque ne aliena raperet monitus, ſacrilegas apibus intulit manus. Continuò autem raptor à ſathana vexari cœpit. Indoluit Mennas inimici caſum, ita ut in poſterùm neque apes habere vellet. Proximi vici beneficio ſuſtentatus eſt, in diem panem afferentibus, quos ille præceptis imbuebat ſalutis. Sæpe Sylveſtres urſos ferula, qua gradus ambulando firmabat, à ſuis alueariis dicitur abegiſſe. Obſeſſos à dæmone liberavit, & omnia ſecreta novit, tempore Juſtini junioris. *Greg. lib.3. Dial. cap.26.*

Justiniani tempore fuerunt multi viri miraculis inſignes. Inter hos Barſanuphius Ægyptius propè oppidum Gazam, in phrontiſterio quodam vixit vitam duriſſimam. Exiſtimabatur autem ſe continere in domuncula, licèt ſpacio quinquaginta annorum aut ultra nec viſus, nec rebus terrenis uſus ſit. Cui opinioni, cùm Euſtochius Epiſcopus Hieroſolymitanus fidem non haberet, ſed habitationem perfoderet, ut ubi ſe continere videret, ignis proſiliens omnes ferè abſumpſit. *Evag.lib.4.cap.33.*

In finibus Biturigum Eusichius eremita, Childeberto Rege quinquaginta aureos offerente reſpondit: Dato eos pauperibus, ego illis non indigeo. *Turonenſis c.82.*

Leonardus eremita vixit in pago Cenomanenſi: & præter alia miracula, quæ fecit, duobus cæcis viſum reſtituit. Conſtruxit ibidem monaſterium Lotharius Rex, apud quem falsò delatus fuerat, eum eiicere conſtituerat: ſed Regis famuli Leonardi oratione territi re infecta abierunt. *Vincent. lib. 21.cap.82.*

Hospitius apud Niceam Galliæ turri incluſus, ac ferreis catenis vinctus, miraculis, & prophetiis clarus, Longobardorum irruptionem in Gallias prædixit. Longobardi cùm Niceam quoque veniſſent, & aſcenſa turre eum offendiſſent, cauſam quærentes: cùm ille ſe propter homicidium captum aſſereret, unus ſtricto gladio eum decollare volebat. Manus obriguit. Territus ille miraculo, cruciſque ſigno ſanatus ab Hoſpitio, Chriſtianus factus eſt. Infirmum curavit in nomine Jeſu Chriſti redemptoris, cæco viſum reſtituit, dæmonia tria ex muliere ejecit, puellam obſeſſam à diabolo liberavit, ſibiipſi tempus mortis prædixit. *Turonenſis l.6.c.6. & 7. & 97.* quædam miracula ab ejus reliquiis facta commemorat.

Fiachius Eugenii IV. Scotorum Regis F. Ferquhardi ſucceſſoris frater humili aſſumpta veſte, quo minus cognoſceretur è patria clam profectus, in Gallia ſolitarium quærens locum à S. Pharaone Meldenſium Epiſcopo, agello, in quo nunc religiosè colitur, eſt donatus. Conſtans ea in regione eſt fama, nefas eſſe, fœminam ſanctiſſimi viri ſacellum ingredi: & quæ id aliquando attentaverint, aut oculis privatas, aut actas in amentiam. Una aliquando ex temeritate ingreſſa ſacellum ejus ſtatim de mentis ſanitate deturbata. Unde tale diſtichon compoſitum fuit.

Fœmina, quæ læſit blaſphemo murmure Sanctum,
Fecit quòd Sancti non intret fœmina templum.

Is cùm à proceribus ad regnum Scotiæ (in cuſtodiam conjecto Ferquhardo Rege ob tyrannidem) poſceretur: de legatorum adventu certior factus divinitus, à Deo petiit, ne ſibi ſolitariæ vitæ fructus eriperetur. Exaudivit omnipotens deprecantem, effecitque, ut adventantibus legatis, lepra infectus appareret: Nuncii itaque ad Fiacrium venientes, conſpectum virum fœdiſſimo morbi genere, ut apparebat, laborantem frigidè, rogarunt, cupetetne redire in patriam: ſe à Scotorum primoribus ad hoc miſſos, ut ipſi obtemperantes in iis, quæ cuperet, ad omnia affluenter miniſtrarent impenſas. Ad ea Fiacrius, magiſtratum omnem non aliter quàm terram peſtem averſatus: Cernitis (inquit) opinor, ut ultrò in privatam abjens vitam, ſolitarius agerè potiùs, quam in hominum frequentia delegerim: tametſi plaga, quam in me cernitis, vitæ potiùs emendatio, atque ad humilitatis incitamentum videtur æſtimanda, quàm aliquis naturæ error. Satis mihi eſſe cognoſcite, cellam, veſtem, olera, his manibus præparata. His enim contentus nihil eſt humani faſtigii, ut ut res meæ ſeſe habent, quod præ illis concupiſcam. Ite ergo, germanis, noſtræque gentis majoribus renunciate, ut Deum in primis reverentes, religionis obſervationi incumbant: rectumque colentes, virtute ſe muniant, & pietate: quas nulla hoſtium vis unquam expugnabit. Me impenſis, uti cernitis, non indigere: eòque Dei benignitate deveniſſe, ut meo videndi generi privata vita magis quàm publica deinceps conveniat. *H. Boeth. l.9. & Guag. lib.9. Hiſt. Fran.*

Basolus Lemovix, divini verbi ſtudio patriam deſerens, comite Angelo, ad Rhemenſem civitatem pervenit, & ab Ægidio Epiſcopo honorificè exceptus eſt. Hujus favore aliquandiù in cœnobio ad radices montis Remorum ſito vitam egit. Et deinde in excelſo nemoroſi montis vertice cellam, & oratorium ædificavit, in qua quadraginta annos ſe continuit. Cùm aquæ penuria laboraret, preces ad Deum fudit, quibus impetravit fontis ſcaturiginem, qui copioſam aquam poſteà ei ſuppeditavit. *Vincent. l.21.c.116. & Sigeb. an. Chr. 567.*

Eparchius patria Petragoricenſis, Encoleſmæ ſibi cellulam extruxit. Furem ſuſpenſum de patibulo liberavit. Si pecunia ei dabatur, eam pauperibus diſtribuebat, aut captivos redimebat. Pro captivis apud magiſtratum intercedebat. Quadrageſimo quarto anno ſuæ incluſionis febre correptus obiit. *Turonenſis lib.6.c.8.*

Joannes eremita in Sicilia, animam Dagoberti Regis vidit à dæmonibus deportari, & à Dionyſio, Mauricio, & Martino liberatam in cœlum ferri. *Sigebertus in Chron. an.645. Aimon. lib.4.cap.34.*

Baudolinus juxta Tanarum fluvium Italiæ in loco, cui Forum nomen eſt, eremita, miraculis, & ſanctitate clarus, futura ſæpè prædixit, & abſentia tanquam præſentia nunciavit. Cùm Luitprandus Rex Longobardorum pro filio ſuo in venatione vulnerato apud eum intercederet: reſpondit, mortuum eſſe filium, neque ſe pro eo orare poſſe. *Paul. Diacon. l.6.c.18. de Longob.*

Burcardus Anglus, patria Dorceſtrius, ordine clericus, pertæſus hominum, in eremum abiit. Nactus eſt inſtituti ſocium Fremundum, Algari Occidentalium Anglorum ducis filium: qui, neglecto regno, cum ipſo in eremum abiit: cujus vitam Burcardus Latinè conſcripſit libro uno. Claruit ſenex anno Dom.870. ſub Ethelredo Anglorum Rege, Danis Britanniam vaſtantibus.

Narrat *Petrus Damian. cap.2.* de quodam Eremita montis Thabor, qui cum ſtimulos libidinis perſentiſceret, irritatus à quadam

quadam formoſa juvencula Saracenica, quæ latibula quæri-
A tans ad ejus ſpeluncam venerat, ingreſſus eſt vaſtum nemus, ut labore, fama, atque ſiti æſtum libidinoſum reſtingueret. Ibi quendam canicie gravem apparuiſſe illi, atque cervicem ejus tam fortiter percuſſiſſe, ut carnis ſtrumam evomeret, & poſteà cibum potumque dediſſe. Tandem hoc conſilii ab eodem accepiſſe, ut quoties ardorem libidinis perſentiſceret, ſecundum Heliam invocaret, interceſſorem apud Deum.

Henricus eremita in valle S. Nicolai prope Antiochiam in monte Nigro tugurium ſibi fabricatus eſt. Nemini penitus quicquam eſt locutus : ſed nutibus tantum quid vellet ſignificavit. Nihil occiſum edit, nec ova quidem : lacte tamen uſus eſt recenti. Caput illius impexum fuit, pedes nudi, cruraque, ſæpè etiam corpus. *Gerardus à Nazareth. cap.37.*

Bernardus ſolitarius Nazarethæ, ſolebat tantùm tribus in hebdomade diebus cibum capere, à vino, & carnibus in univerſum abſtinens, tenuiter veſtiri, manè, & veſperi pſalmos, & preculas recitare, de die montes aſperos, & invios perluſtrare, ubi latibulum aptum reperiret. Is aliquando crines capitis atque barbæ ambuſſit, veſtes abjecit in eremum, & occurſum penitus refugit humanum : donec tandem poſt dies quin-
B decim frigore, & inedia compulſus, hominum quæreret domicilia. *Gerard. c.7.*

An. Dom.714. Mauris Hiſpaniam vaſtantibus, cùm nonnulli regni Caſtellæ nobiles ad Aſturiæ, & Cantabriæ montes ſe contuliſſent, Aragoniæ quoque plures æquites ad Pyrenæos montes confugerunt. Ibi Joannes quidam in quadam ſpelunca conjuncta rupi, quæ Penna dicebatur, ædiculam ſibi velut eremum conſtruxerat, & S. Joanni Baptiſtæ dedicaverat, ibique ſolus vivens, vitam finiverat. Ad eam ædiculam in montibus abditam Cæſarauguſtanus eques, Votus nomine, cervum inſequens, pervenit, & arbuſtis enſe præciſis ingreſſus, corpus Eremitæ, quod inſepultum apud altare jacebat, aſpexit : ſimul quoque literas in altari fere eo ſtylo ſculptas legit in hanc ſententiam : Ego Joannes hujus ædiculæ conditor, & primus habitator, vel in eremo Deo ſervire cupiens hanc eccleſiolam, parvumque ſacellum erexi, ſanctoque Joanni Baptiſtæ conſecravi : in qua vixi diutius, & nunc mortuus in Domino requieſco. Votus ergo Deo gratias agens, Eremitæ corpus humo coopervit, & bona ſua vendidit omnia, eorumque pretium Chriſtianis pauperibus erogavit : idem frater ejus Felix fecit, & ad ædiculam ſeſe contulerunt. Horum poſteà conſiliis Chriſtiani animati, anno Dom.730. Garſiam
C Ximenium de genere Gothorum ſibi ducem contra Mauros elegerunt, à quo Reges Aragoniæ deſcendere. *Marinæus l.8. Rer. Hiſp.*

Helias Ludimagiſter in Gallia Narbonenſi, Hieroſolymam petiit ſub Fulcone Rege, ut ibi locà nativitatis, paſſionis, & reſurrectionis Domini luſtraret. In itinere ad Eremitarum monaſterium divertens, presbiterii ordinem ſuſcepit. Mox in vaſta quadam ſpelunca prope Hieroſolymam unà cum ſuis ſe abdidit. Ubi cùm aliquando delituiſſet, monachorum, qui vallem Joſaphat incolebant, continuis precibus, & hortatu patriarchæ Hieroſolymitani, iſtorum ſe congregationi adjunxit. Iſthinc iterùm avocatus. Abbas conſtitutas eſt monaſterii Palmariæ, non procul à Tiberiade. Inde rurſus exemptus Fulconis Regis conjuge, Hieroſolymam petit : ubi cùm annos paucos delituiſſet, ad priorem ſedem hortatu Nazareni Archiepiſcopi revertitur. Ab eo tempore, quo primùm factus eſt eremita, carne, vino, ovis, & caſeo penitus abſtinuit. Quotidie, exceptis Dominicis, & feſtis diebus, jejunavit. Legumina ſemicruda ſine pane ſumpſit. Piſcibus verò uſus eſt. Veſtitus ſordi-
D dus. Lectioni aſſiduè intentus. Inter ſuos ſe neque Abbatem, neque Priorem nominari paſſus eſt. In Galliis adhuc degens, Hiſpaniam ingredi ſtatuit, ut Saracenis ibidem fidem Chriſtianam prædicaret. Suis auctor fuit, ut ſecum Aſcalonem iter facerent, & ſeſe captivos ſtatuerent, ut totidem numero Chriſtianos captivitate liberarent. Sed ſociorum dehortantium conſiliis acquievit. Pecuniam oblatam reſpuit. Seipſum ſolitus eſt flagellare, ut profuſis lacrymis diù lugeret, ſi quando hallucinaretur etiam in re viliſſima. Vigiliis nocturnis tantopere ſeſe afflixit, ut ad menſam ſedens obdormiſceret ſæpe, & panis buccella ori ingeſta rurſus excideret. Habitum, & mores monachorum Ciſtercienſium unicè adamavit, ita ut ſuorum unum mitteret Hieroſolyma in Gallias, pro adducendo ejus ordinis monacho, ex quo omnia, quæ ad eam Religionem pertinerent, addiſcere poſſet. Eamque etiam ob cauſam ſuis in Tiberiadis cœnobio monachis hortator fuit, ut tali cucullo uterentur. Quod tamen illis perſuadere non potuit, quia locus ille ad Jordanem
ſupra modum calidus ejuſmodi habitum reſpuit. De ambitione E
ſolitus eſt dicere, omnia vitia divino auxilio ſuperari poſſe, unicum hoc illis ſeſe inſinuare, qui ſanctius præ aliis vivere ſtuderent, & ita quidem, ut vix deprehendi poſſit. Egenis liberaliter dedit, ita ut ſiniſtra manus neſciret, quid faceret dextra. Anno 1140. obiit, hæc ſecum ſubinde meditans : Terribilis Deus in conſiliis ſuper filios hominum. Item : Neſcit homo an amore, vel odio dignus ſit. *Gerardus à Nazareth in vita ejus.*

Joanni, Anglorum Regi, à Pontifice Innocentio ſacris interdictum fuerat, & ſubditi omnes ab illius obedientia abſoluti, an.1212. Philippus Gallorum Rex magnam claſſem ad invadendum Angliæ regnum Pontificis inſtinctu comparaverat. Eremita quidam Petrus, Eboracenſis, dum Joannes adverſis afflictabatur rebus, circa Calendas Januarias, prædixit fore, ut ille ad diem, qui aſcenſioni Chriſti ſacer eſt, de regno eiiceretur, nec recuſaturum ſe ultrò mortem ſubire, ſi vaticinatio careret eventu. In cuſtodiam conjectus, cùm adveniſſet dies dictus, à Joanne crudeliter, cum filio, licet innocente, laqueo ſuſpenſus fuit. *Polyd. lib.15.*

Magnum quondam in campis, quos Hungari à cancrorum nomine Racos appellant, nemus fuiſſe ajunt, ab uno tantùm eremita habitatum, cui Vacio nomen erat. Hic humanæ vitæ mi-
ſeriam abominatus, in ſolitudinem ſe receperat. Geiſa victoria F
contra Salomonem potitus, locatam ibi cum baſilica civitatem ab eo, Vaciam nominavit. *Bonfin. l.3. Dec.2.*

Nicolaus eremita Undervalenſis, uxore relicta, ex qua mares quinque filias totidem ſuſceperat, in ſolitudinem ſe contulit, & in ea unum, & viginti annos abſque cibo, & potu vixit, Angelo quàm homini ſimilior. Vitæ ſanctimon ia inſignis de reconditis ſacrorum myſteriis multum diſputabat, cum tamen nullum unquam ea in re ſtudium poſuiſſet, & planè illiteratus eſſet. Lætus ſemper conſpiciebatur, ad pœnitentiam omnes Helvetios, ad concordiam imprimis, deinde ad ἀϱδωδονίαν utque externorum principum fœdera vitarent, hortabatur. Die feſto ſuos in templo Saxenſi conveniebat, eoſque non modò voce, ſed & exemplo ad pietatem accendebat, inter preces quotidianas hac formula, ceu epiphonemate ſolebat uti : *Herz nim mich mir, und gib mich dir.* Illud quoque libere profitebatur, longè gratius ſibi fuiſſe, quod divino auxilio caſtiſſimam uxorem relinquere, quam quod cibo, & potu omni abſtinere potuerit. Oculi ejus grato quodam, eodemque terribili ſplendore fulgebant. Arteriæ, & venæ jugulares inter loquendum ita intumeſcebant, ut ſpiritu non ſanguine repletæ viderentur. Anno tandem 1502. vir rariſſimi exempli placidiſſimè expiravit. Cujus monitis utinam Helvetii parerent, vitæquæ ſanctimoniam æmu-
larentur. Ejus vitam alius quidam imitaturus, conſilium à Ni- G
colao adhuc vivente petiit, quanam ratione etiam ipſe eas abſtinentiæ dotes aſſequi poſſet. Cæterùm Nicolaus hominem feriò admonuit, non humano, ſed divino inſtituto hæc fieri : neque Dei dona omnibus ex æquo diſtribui. Hortari igitur, ut ſorte ſua contentus, ſuæ profeſſioni incumberet, non ſtulta æmulatione talentum ſuum defoderet. Is verò conſilio pii viri ſpreto, eremiticam vitam nihilominus ſequebatur. Tandem cùm in vinaria vaſa, quibus more Helvetico vinum honorarium peregrinis conferri ſolet, impuriſſimus homo ventrem exoneraſſet, in vincula conjectus, boniſque mulctatus, ad ſecularem vitam rediit. *Stumpfius.*

Mahumeti.

Techelles, Harduellis diſcipulus, poſt præceptoris mortem in Antitauro monte cremiticam vitam ſecutus, tanquam Deus à paſtoribus cultus, Iſmaeli Sopho ad Perſarum regnum adjumento fuit maximo, circa an. Sal.1498. *Jovius.*

Mulieres. H

Maria Magdalena omnia peccata ſibi dimiſſa eſſe, jam pridem audierat : optimam partem, quæ non auferretur ab ea, Domino atteſtante, ſe elegiſſe cognoverat : reſurgentem Dominũ prima videre meruerat, pro amore illius omnia contempſerat. Denique apud Maſſiliam Galliæ urbem inanium deorum ſimulacra Chriſti prædicatione jam proſtraverat, ſalutiferæquæ crucis vexillum erexerat : necdum tamen ſe feciſſe ſatis putavit, donec ſolitudinis auguſtiis carnem ſuam aliquando delicti ream non maceraſſet, afflixiſſetque. Annos itaq; triginta nulli hominum viſa, nulli cognita vixit in deſerto, non humano cibo, ſed angelicis fomentis aſſiduis ſuſtentata. Die verò obitus ſui imminente, ſacram communionem de manu Maximini Epiſcopi accepit. *Marul. l.1. c.9. & Sab. l.2. c.2.*

Maria

Maria Ægyptiaca, in Ægypto parentibus Chriſtianis nata,
A æſtu libidinum concita, Alexandriam veluti ad mercatum iverat, & cùm corpus ſuum vulgaret, vivens mortua erat. Cùm Alexandria Hieroſolymam veniſſet (ſub Valentiniano, & Valente Impp.) non potuit templum Dei ingredi, vique inviſibili inhibita ſubſtitit in limine. Miratur, ſtupet, erubeſcit, & pedem invita refert. Ubi recognovit ſacro aditu ſe indignam, quòd prophanis vitæ obſcœnitatibus eſſet polluta, nequiter actæ ætatis pœnitudine graviter angi animo cœpit, & lachrymas effudit, decernens ibi turpitudini finem imponere, ubi Dei erga ſe indignationem cœperat experiri. Rurſumque tentato ingreſſu, liberè abſque impedimento introivit. Mox ante crucem Domini ſuppliciter proſtrata, tamdiù flere non deſtitit, donec audivit, ſi ſaluti ſuæ conſultum vellet Jordanem tranſiret. Tranſmiſſo ergo Jordane, deſertum penetravit, jam aliam vitam, alios mores ſequens, quam quos ad eam uſque diem non deſeruerat. Jam primùm caput illud, quod ſæpè margaritis, & auro ornaverat, cœli objecit injuriæ, nullo tecto conenta : crines, quos frequenter calamiſtro intortos criſpaverat, cum deſecuiſſet, pedibus conculcandos projecit. Faciem, quam pluries ceruſſa, & purpuriſſo fucaverat, lachrymis rigavit, & ſolis excoxit ardoribus. Pectus, quod faſciolis papillarum tu-
B morem cohibentibus aſtringere conſueverat, pugnis diverberavit. Totum denique corpus, quod priùs omni voluptatum genere diffluxerat, extenuavit jejuniis, vexavit vigiliis, fatigavit laboribus, ſolicitavit aſſiduitate orationum, devenuſtavit nuditate, oppreſſit inopia. Sic penitus immutatam poſt quadrageſimum converſionis ſuæ annum Zoſimus Abbas (dum fortè per deſertum illud ſolus incederet) vidit, deprehenditque orantem procul à terra ſublevari, trans flumen euntem ſuper aquas ſiccis veſtigiis ambulare. *Marul. l.1. cap.9. & Sabell. lib.2. cap.2.*

Sara mulier, imperante Theodoſio ſeniore, duravit ad ripam cujuſdam fluminis annos LX.

Sylvia virgo filia Ruffini, præfecti Alexandriæ, annos LX. abſolvit in ſolitudine, quo tempore nullam corpori partem lavit, præter digitos. Non in lecto jacuit, ſed humi tantùm. *Raviſ.*

Quomodo. Ubi

☞ *Ex præcedentibus exempla accommodentur.*

DEPOSITIO, MUTATIO.

Ex Eremitis facti

Pontifices.

C Celestinus III. ex eremita Pontifex factus, auſteritatem vitæ non mutavit. Cæterùm cùm experientia rerum careret, parum utilis Reipub. judicatus eſt, cœptumque eſt, de ceſſione tractare. Quod cùm Carolus Rex Neapolitanus audiſſet, Pontificem amantiſſimum Neapolim duxit, multiſque modis conatus eſt animum ejus à ceſſione avertere, adeò ut ſolemni pompa per Archiepiſcopum ducta, clerus, & populus benedictionem à Pontifice petierit, illique ſe commendarit, rogando ne benè gubernatam eccleſiam ſuo regimine deſtitueret. Quibus Pontifex benedictione data, reſponderi juſſit. Futurum in rem, quod Deus pro ſalute populi diſponere dignaretur. Benedictus autem Cardinalis Cajetanus, juris ſcientia peritiſſimus, multis canonibus oſtendit Pontifici, quòd graviter peccaret, ſi ſe inſufficientem cernens ad obeundum Pontificatum, non alteri cederet : conſtitutionemque promulgari obtinuit, per quam declaratum eſt, licere Pontifici Romano dignitatem dimittere, & paulò poſt ſexto menſe ſui Pontificatus Celeſtinus Papatu ſe abdicavit, Cardinalibuſq; alteriùs ſubrogandi arbitrium permiſit. Electus eſt autem Benedictus, ipſe Cajetanus, Bonifacius IIX. appellatus. Qui accipiens Pe-
D trum Moroneum ad eremum anhelantem Neapoli clandeſtinè receſſiſſe, illum ex via retractum, in cuſtodia juſſit haberi, veritus, ne populi eum ſequerentur : & Romam petens in arce Campaniæ Fumonis deductum arcta cuſtodia concluſit, in qua periit non ſine infamia Bonifacii. *Blondus lib.9. Decad.2.*

Episcopi.

☞ *Ex Tit. Epiſcoporum huc quædam.*

Archebius quidam, qui ad annos triginta ſeptem in Anachoretarum ordine vixerat, in Panephiſum raptus eſt ab Eccleſia ad Epiſcopatum. *Caſſiam. in Collat.*

Doctores.

Apollonius ab anno 15. uſque ad 40. in ſolitudine Thebaidis verſatus, tandem ad homines rediit : philoſophiam docuit, & miraculis clarus fuit per orationes. *Sozon. l.3. c.14.*

Neonus Adulphus, cùm in Glaſconienſi cœnobio Angliæ aliquandiù monachum egiſſet, cum præceptore ſuo, & libris in Cornubiæ ſolitudinem receſſit, ibique ad ſeptennium ſa-
cris literis operam navavit : atque inde reverſus, paſſim doctri- E
nam Evangelii populo prædicavit. Carus fuit Alfredo Anglorum Regi : eique hortator, & auctor, ut Oxonienſem ſcholam inſtitueret, anno Dom.873. & poſita mercede omnibus, qui illic bonas artes profiterentur. Mortuus eſt anno Dom.883. & ſepultus Einesburniæ.

Patroclus Bituricenſis, ex ovium paſtore ſtudia ſectari cœpit. Inde ab Arcadio Bituricenſe Epiſcopo diaconus factus, miraculis clarere cœpit. Abiit poſteà in eremum, juxta vicum Nercenſem ſcholam aperuit, in qua pueros erudiendos ſuſcepit. *Greg. l.5. c.10.*

Milites.

Petrus Ambianenſis eremita, auctor expeditionis Hieroſolymitanæ. ☞ *Vide Tit. Expeditiones ſacræ Chriſtianorum.*

VITA SOLITARIA PROFANA,

Considerata Respesctu

FINIS. SIC SOLITUDINEM

ſectantur ſtudio

Cognitionis.

Magi.

☞ *Conſule Magorum Titulum.*

Tatia Tatii filia, qui Romulii fuit collega in regno, F
poſtquam in Numæ Pompilii matrimonio tredecim annos fuiſſet, deceſſit. Hinc Numa relicta urbana vita, plerumque ruſticari, & errare ſolus voluit, egitque in lucis deorum, ſacriſque pratis, ac ſolitudinibus. Unde potiſſimm nata eſt hæc fama, nullo Numam illum mœrore, aut perturbatione mentis in ſeceſſu vivere, ſed ſublimioris guſtu contubernii, & cœleſtibus nuptiis potitum, ex deæ Ægeriæ ipſius amore flagrantis congreſſu, atque conſuetudine vitam beatam eſſe adeptum, & rerum divinarum ſcientiam hauſiſſe. *Plut. in Numa.*

Philosophi.

☞ *Ex Philoſophorum Loco huc quædam.*

Pithagoras anno integro in ſubterraneo quodam ſpeculatuit. Ut hominibus aliquando prodeſſet, ab hominum commercio tantiſper abſtinere, deorumque colloquio frui voluit. *Laert. lib.6.*

Timon Nicæus gaudebat hortorum ſeceſſibus, ac ſolitudine. Unde Hieronymus Peripateticus de illo dixiſſe fertur : Quemadmodum apud Scythas, & qui fugiunt, & qui inſequuntur, torquent ſagittas : itidem inter Philoſophos alios per-
ſequendo diſcipulos capere, alios fugiendo. Sequitur fama G
fugientem : & ob idipſum avidiùs expetitur, qui celebritatem vitat. *Laert. l.9. c.12.*

Ad ſanandum Democritum vocatus erat ab Abderitis Hippocrates : qui abſens licet, ex iis tamen, quæ ſcribebantur, ſignis, non mania teneri Democritum facilè animadvertit, & in hæc verba Philopœmeni reſpondet : Meliore ſpe, ut arbitramur, quàm in literis præſcriptum eſt, accedemus : cùm non inſaniam, ſed quandam excellentem mentis ſanitatem Vir ille declaret, dum neque liberorum, neque cognatorum, neque rei familiaris, neque omnino alicujus curam gerit : ſed & diù, noctu apud ſeipſum conſiſtit, & privatim degit, plerumque in antris, & ſolitudinibus, aut ſub arborum umbris, aut in mollibus herbis, aut apud tacita aquarum fluenta. Non enim omnes inſani antra, & quietem expetunt, ſed etiam hi, qui humana negotia contemnunt, ob tranquillitatis cupiditatem,

Actionis.

☞ *Ex Tit. Legiſlatorum prudentum exempla eorum, qui ad conciliandum legibus ſuis auctoritatem deorum ſeſe colloquio in ſolitudine dignatos fuiſſe ſimularunt.* H

OCCASIONIS. SIC IN SOLITUDINEM

ſeſe abdunt ob

Morbum.

☞ *Quod Melancholicorum proprium eſt. Horum exempla ex Tit. Melancholiæ petantur.*

Imprecationem.

Timoleon Corinthius, cùm fratrem Timophanem tyrannidem affectantem occidi curaſſet, ejuſdem rei nomine à matre diris devoveretur, oppreſſus dolore, inſtituit ſe conficere inedia. Sed impeditus ab amicis, privatus in ſolitudine degere maluit, & viginti prope annis urbe abſtinuit, mœrenſque, & vagans in prædiis maximè ſolis egit. *Plut. in Timoleonte, & Deobor. lib.16.*

Cladem Bellicam.

M. Antonius poſt cladem Actiacam in Ægyptum vectus,

relicta

relicta urbe, & amicorum conſuetudine, domicilium ſibi in A mari ad Pharum extruxit, projecto in altum aggere, idque Timonium vocavit, atque ibi extorris ab hominibus egit. Vitam ferebat ſe imitari, & æmulari Timonis: quòd res ſuæ eodem loco eſſet. Quippe violatum ſe ab amicis ſuis, atque ingratitudinem eorum expertum: ideò omnibus diffidere, & ab omnibus abhorrere hominibus. *Plut. in Antonio.*

MORTEM LIBERORUM.

BELLEROPHON à LOBARE Rege Lyciæ in regni conſortium ob ſortia facta receptus, ex filia ejus tres liberos ſuſcepit. Hippolochum, & Iſandrum, qui in bello contra Solymos periit, & Laodamiam, quæ ex Jove Sarpedona ſuſcepit, & peſtilentia periit. Ob hanc calamitatem in melancholiam incidit, & cùm ſeſe diis omnibus inviſum putaret, cujus filium Mars, filiam Diana interfeciſſet, in ſolitudinem ſeſe abdidit, *teſte Homeros, Iliad. 2.*

ἀλλ' ὅτε δὴ κἀκεῖνος, ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσι
ἤτοι ὁ καππέδιον Ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο,
ὃν θυμὸν κατέδων πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

METUM.

ANDRODUS ſervus fugitivus heri iram in ſolitudinem declinans, Leonis medicus ſimul, & alumnus factus eſt.

B ☞ *Vide Tit. A brutis ſervati.*

☞ *Solitariæ vitæ encomia, & laudes plurimas eleganter, & pio rythmo conſcriptas à Cornelio Muſio Cœnobii S. Agathæ apud Delphenſes Paſtore, & Martyre Chriſti illuſtri reperiet Lector in Sacrario Agrippinæ Erhardi Winheim Coloniæ 1607. impreſſo fol. 215. qui rythmus huic argumento non parum lucis, & voluptatis Lectori afferet.*

Solœciſmi.

☞ *Vide in Loco. Grammatice. Tit. Exercitatio Grammatica.*

* Somnium. Somnus.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

SOMNIUM Græcè ὄναρ dicitur. Et eſt phantaſma in ſomno factum, id eſt, apparitio phantaſtica in ſomno facta, *ſecundù Ariſt. l. de ſomno & vigilia.* Sive viſũ, quod in ſomno apparet.

Somnium à Chryſippo ſic definitur: Somnium eſt vis cernens, & explanans, quæ à diis hominibus ſignificantur in ſom- C nis. *Ex Cic. lib. de divinat.*

SOMNUS eſt ligamentum omniũ ſenſuum externorum *ſecun. Ariſt. lib. de ſomno & vigilia*, ad animalis quietem, & ſalutem inſtitutum.

SOMNUS eſt impotentia ſentiendi, propter exceſſum vigilandi.

SOMNUS eſt paſſio naturalis, & conventus coloribus intrinſecus, vel naturalis reciprocatio facta ex evaporatione vaporum à nutrimento, & ingroſſata à frigiditate cerebri, propter ſalutem animalis tuendam.

SOMNUS eſt quies animalium virtutum, cum intentione naturalium *ſec. Avicen.* Vel eſt privatio diſpoſitionis animæ imperantis ſenſibus, & virtutibus exterioribus, in qua anima convertitur ab exterioribus ad interiora.

SOMNUM Græci ὕπνον dicunt. quaſi λύπονον per aphæreſin, & ſyncopen, παρὰ λύειν τοὺς πόνους i. à ſolvendis laboribus, quos dormientes non ſentiunt. Quid ſi ὕπνος dictus ſit, quaſi ὑπὲρ τὸ νοῦ, quòd ſomno mens quaſi obruta, atque ſepulta jacet, vel ab ὑπὸ & πόνος, quod laborem ſomnus conſequatur; Alii veriſimi- D lius ὕπνον putant dictum παρὰ τὸ ὑπονέειν, quod eſt ſuſpirare, eò quòd in dormientibus pulmo non deſit officio ſuo. Ab ὕπνο nonnullis ſomnus derivatus videtur, quaſi Sopnus. Dicitur ab *Homero* Somnus πανδαμάτωρ, quia omnes domat. Sic *Seneca: Tuque ò domitor ſomne malorum.* Orpheus ſuperum, hominumque, & cunctorum animalium ἄνακτα, id eſt, Regem, appellavit. Alii καμάτων λιμένα, hoc eſt, laborum portum. Menander verò ὕπνος πεφυκε σωμάτων σωτηρία ait, id eſt; Somnus corporis conſervator.

PARTITIO.

SOMNUM alii naturalem conſtituunt, qui ſufficit concoctioni, & viribus naturæ reparandis, qualis à medicis conſtituitur 6. 7. aut 8. horarum. tali enim intervallo concoctio abſolvi poteſt. Alius non naturalis, qui naturæ nocet, & corpus aggravat qualis eſt omnis modum excedens. Talis eſt κάρος domiendi neceſſitas, καταφορὰ torpor λήθαργος, veternus Latinè, eſtque inexplebilis, neceſſitas dormiendi. Latini itaque diſtinguunt inter ſomnum, ſoporem, & veternum. Ita apud Hebr. *Temmia, Schena, & Tardema* diverſa ſunt. Primum enim ſomni E initium, ſive dormitationem: alterum, plenum: tertium, profundum ſignificat.

SOMNI CAUSA EFFICIENS.

Cauſam ſomni ARISTOTELES exiſtimat ligationem ſenſuum exteriorum, obſtruentibus vaporibus è ventriculo aſcendentibus ad caput ſenſus communis aditum, iiſdemque opplentibus membranam, quæ circa cerebrum eſt, & venas, unde & ſpiritus torpidi, & graves redduntur, atque externi ſenſus. ligari dicuntur, unde cibi illi, qui plurimum vaporem ſurſum efferunt ſomniferi appellantur; & phlegmatici ad ſomnum proclives, uti & infantes.

Ceterùm *Averroes 2. Coll. 21. & Gal. 1. de cauſ. Sympt. c. vlt. & 3. de cauſ. pul. c. 9.* arbitrantur, cauſã ſomni non provenire ex evaporatione alimenti, ſed quod ipſa anima revocet, colligatq; in cerebrum ſpiritus animales, ad eorum reparationem, & ad quietem, ſalutemq; animantium. Unde ex hoc placito, ſomnus definitur; Impotentia ſenſuum, propter naturam ſpiritus retrahentem. Suffragaturque his authoribus *Avicen. 13. tr. 41.* dum inquit, ſomnum eſſe reditum ſpirituum ab organis ſenſuum, propter naturam ſpiritus revocantem, & *Plin. lib. 10. c. 75.* ita F ſomnum definit: Somnus eſt animi in medium ſeſe receſſus

SECUNDUM POETAS.

Ovid. 11. Metamorph.

Eſt prope Cimmerios, longo ſpelunca receſſu,
Mons cavus, gnavi domus, & penetralia ſomni.
Quo nunquam radiis oriens, mediuſve, cadenſve
Phœbus adire poteſt: nebulæ caligine mixtæ.
Exhalantur humo, dubiæque crepuſcula lucis.
Nil vigil ales ibi criſtati cantibus oris
Evocat auroram, nec voce ſilentia rumpunt,
Sollicitive canes, canibuſque ſagacior anſer:
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
Clamantiſque ſonum reddunt convitia linguæ.
Multa quies habitat, ſaxo tamen exit ab imo
Rivus aquæ lethes: per quem cum murmure labens
Invitat ſomnos crepitantibus unda lapillis.
Ante fores antri fœcunda papavera florent,
Innumeræque herbæ, quarum de lacte ſoporem
Nox legit & ſpargit per opacas humida terras,
Janua, ne verſo ſtridorem cardine reddat.
Nulla domo tota eſt: cuſtos in liminesnullus. G
At medio thorus eſt ebeno ſublimis in antro
Plumeus, unicolor, pullo velamine pectus.
Quo cubat ipſe Deus membris languore ſolutis,
Hunc circa paſſim varias imitantia formas
Somnia vana jacent: totidem quot meſſis ariſtas:
Sylva gerit frondes, ejectat littus arenas.

NATURA ET OPERATIO.

De ea ſic Poeta Claudianus:

Omnia quæ ſenſu volvuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.
Venator defeſſa thoro cum membra reponit,
Mens tamen ad ſylvas & ſua luſtra redit.
Judicibus lites aurigæ ſomnia currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur equis.
Furto gaudet amans, permutat navita merces,
Et vigil elapſas quærit avarus opes.
Blandaque largitur fruſtra ſitientibus agris
Irriguus gelido pocula fonte ſopor.
Me quoque Muſarum ſtudium ſub nocte ſilenti H
Artibus aſſiduis ſollicitare ſolet.
Namque poli media ſtellantis in arce videbar
Ante pedes ſummi carmina ferre Jovis.

Et Seneca in *Herc. fur.*

Vera miſcens falſa futuri,
Certus, & idem peſſimus autor.
Pater ò rerum, portuſque vitæ
Lucis requies, noctiſque comes,
Qui par Regi, famuloque venis,
Placidus feſſum, leniſque foves,
Pavidum lethi genus humanum,
Cogis longam diſcere mortem.

Thomas Morus verò alium noctis effectum hoc epigrammate tradit:

Non es, dum in ſomno es, dum nec te vivere ſentis,
Felix at ſomnus ni veniat, miſer es,
Quid felix igitur ſorte indulgente ſuperbit,
A *Inflatuſque levi proſperitate tumet.*
Nox quoties venit, aut toties jam deſinit eſſe
Felix, aut toties incipis eſſe miſer.

FINIS, ET UTILITAS.

Finis ob quem natura ſomnum inſtituit, ſunt incommoda, quæ illius beneficio animalibus obveniunt. Hæc quàm multa ſint, ſummatim complexus eſt *Tertullianus in lib. de Anim. cap. 43.* hiſce verbis: Somnus eſt recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, medicus laborum, cui legitimè fruendo dies cedit, nox legem fecit, auferens rerum etiam colorem. Nimirum dum ſomni tempore ſenſus externi vacationem quandam feriarum vice impetrant: collecta ad internas functiones animalium ſpirituum diſpendia reſarcit; vitalis potentia in levi cordis ſinu ſpiritus vitales exactius elaborat; facultas naturalis in alimenti decoctionem impenſius incumbit, cæteraque ſuarum partium munia expeditius abſolvit.

Utique ſomni, & vigiliæ reciprocatione, vitæ, ſalutique animantium mirificè natura conſuluit. Non ſolùm, quia iſthæc viciſſitudo, ut in cæteris ferè naturæ rebus, jucunda eſt; ut luculentè oſtendunt *Tertull. in lib. de Pallio, & Sen. lib. de* B *tranquill. vitæ c. 15.* ſed quia ejus beneficio apta corporis conſtitutio ſervatur, vireſque inſtaurantur, & reficiuntur. Debent tamen hæc duo per alternas vices mutuò attemperari.

Somnus verò, niſi moderatus ſit, & tempeſtivè adhibeatur, non parum officit valetudini; ut monet *Hippocrates 2. Aphor. 3. & Averroes 6. Collig. cap. 4.* Laxat enim membra, calorem nativum hebetat, gravat caput, ſtupidos, ſocordes, obliviofos, ad vitia proclives reddit, adque ſubeundos labores, reſque libero homine dignas ſuſcipiendas pigros, & inutiles. Maximè verò ſomnus immodicus indigna res eſt iis, qui ſe bonarum artium ſtudiis dediderunt: tum quia non jacet in molli lecto ſapientia; tum quia non decet ſapientiæ amatores meliorem vitæ partem, quæ in vigilia conſiſtit, mortis imagine commutare; & vitam, quæ homini tam brevis contigit, breviorem reddere.

TEMPUS.

Quoad tempus, ſomnus alius eſt diurnus, alius nocturnus. Diurnus rurſus duplex eſt, alius ante meridiem, qui fit jejuno ventriculo, qui tolerabilis eſt: nec omnino noxius. Non enim C tunc mala, morbique vacuo ventre, & materia exhalationum non ſuppetente obrepunt. Meridianus autem, ſive pomeridianus eſt capitalis valetudinis hoſtis, adeòque fugiendus. Unde ille apud *Plautum in Moſtell.*

Non bonus ſomnus eſt de prandio.

Cibos enim in ventriculo non concoquit, ſed corrumpit, ructus acidos, flatuſque parit, cerebrum multa, craſſa, mordacique humiditate, atque fuligine replet, unde gravedines, oſcitationes, pandiculationes, vertigines, catharri, capitis dolores, anginæ, apoplexia, incubus, epilepſia, paralyſis, & alii morbi frigidi, atque mortiferi promanant. Nonnulli tam certis cautionibus adhibitis mitiora, ac minimè periculoſa illa ſibi efficiunt: primùm conſuetudine, & longo uſu: deinde non protinus à cibo, neque capite demiſſo dormiendo: præterea, vel ſomno plenius indulgendo, vel parum longo utendo: poſtremò, non ſubitò, nec raptim, ſed paulatim vigiliam revocando.

Eſt autem aptiſſimum ſomno tempus nocturnum, propterea quod ipſum noctis ſilentium quietem advocat, & circumfuſi areis frigiditate innatus calor facilius ſeſe colligit, & D ad interiora revocat: cum ſomnus, ut *Ariſtoteles cap. 3. lib. de ſomno, & vigilia* aſſerit, antiperiſtaſis quædam ſit naturæ conveniens.

Nec inſcitè NASO Poeta *lib. transform. 11.* regiam ſomno ædificavit propè Cimmerios, quorum regioni fingitur nox atra perpetuò incubare, *teſte Tullio 4. Tuſcul. quæſt. & Strabone l. 1. Georg.* Unde nox ἐπνοδότειρα, μήτηρ ὀνείρων εὐφροσυνῶν, ἀντη, id eſt, ſomnidatrix, ſomniorum mater, jucunda, benè obvia, ſeu occurrens à poetis appellatur.

Rectè itaque *Seneca lib. 22. epiſt. 123.* eos reprehendit, qui, ut quidam in eadem urbe Antipodes noctes vigilant, dies dormiunt: quos appellat Sychnobios, id eſt, lucernarios: aitque ejuſmodi homines contra naturam vivere. Quod factitaſſe Heliogabalum Imperatorem, teſtatur *Lampridius in ejus vita.*

AVICENNA quoque præcipit, parvam, lentamque motionem poſt cœnam eſſe uſurpandam, quoniam facit in ſtomacho cibum quieſcere, mox eſſe dormiendum.

Hoc præceptum ſecutus CATO Uticenſis, poſt cœnam ſolitus eſt deambulare, peractaque deambulatione, in cubiculum ſe recipiebat, *auctore Plutarcho.* E

DOMITIANUS quoque Imperator à cœna ad horam ſomni nihil aliud, quàm ſecreto ſolus deambulabat, *teſte Suetonio in ejus vita.*

* APOPHTHEGMATA.

DIOGENES conſpiciens adoleſcentem quendam neglectius dormientem, baculo pungens illum, dixit carmen Homeri.

Ἔγρεο, Μήτις σοὶ εὕδοντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πήξῃ.
Surge, Ne quis, dum dormis, à tergo infixerit haſtam.
Laert. lib. 6.

DEMOCRITUS diurnum ſomnum, aut corporis moleſtiam aliquam, aut animæ anxietatem, aut ſegnitiem, aut imperitiam arguere dicebat. *Ant. & Max. ſerm. de ſomno.*

ÆSCHINES, ſomnum diuturniorem, quam deceat, dicebat mortis potiùs, quàm vivis convenire, *eod. ſerm.*

PHILO ſciſcitatus, quid eſſet ſomnus? reſpondit, imago mortis, & ceſſatio ſenſuum. *Ibid.*

PLATO Somnum multum, neque corporibus, neque animis, neque rebus gerendis conducere affirmabat. Nemo enim, dum dormit, alicujus pretii eſt, non magis, quàm ſi non viveret. Quare quicunque vivere, & ſapere cupit maximè, quam longiſſimo tempore vigilet, ſola ſanitatis commoditate ſervata, F *lib. 7. de Legib.*

GORGIAS extremæ jam ætatis, cùm ſentiret ſomnum lethalem obrepere amico, qui aſſidebat percontanti: Quo pacto haberet? ſomnus, inquit, jam incipit me fratri ſuo commendare. Homerus enim ſomni fratrem appellat mortem. *Ælian. l. 2.*

EPAMINONDAS quempiam è vigilibus ſomno oppreſſum, cùm offendiſſet, gladio hominem transfixit. Objurgatus autem ob tantam ſeveritatem; Talem, inquit, eum reliqui, qualem inveni. Senſit autem Imperator bellicoſiſſimus hominem ſomno oppreſſum, ac mortuum, in eadem eſſe ſorte, ac conditione. *Bruſ. lib. 6. cap. 8.*

ALEXANDER cùm Deus ab adulatoribus vocaretur, ſe mortalem eſſe dicebat, cùm id deprehenderet ex ſomno, qui mortis imago eſt. *Plut. in vita Alex.*

* SOMNUS SIT BREVIS, ET MODERATUS. QUI CEPERINT?

G

EXEMPLA UTRIUSQUE SEXUS.

Traditum eſt, in eo eremo, cui EVAGRIUS Abbas præfuit, fuiſſe Monachos, qui ſedendo ſomnum caperent, non jacendo, magis repugnantes ſopori, quàm dormientes. Hi profectò jure ſuo dicere poterant. Omnes nos filii lucis, & filii diei ſumus, non noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus ſicut cæteri, ſed vigilemus, & ſobrii ſimus.

HONOPHRIO verò, neque tectum ullum, neque certus quietis locus fuit. Ibi ſomnus erat, ubi per deſertum vaganti nox occurriſſet. Sed & ipſa, quod nox pervigilio magis, quàm dormitione peragebatur, ut illud ſervaret à Propheta dictum: In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum. *In vitis PP.*

ARSENIUS, tam brevi quidem ſomno naturæ ſatisfecit; ut etiam dicere ſolitus ſit: Monacho ſatis eſſe, ſi horam unam dormierit. Surrepenti ſomno obnixè repugnans, illum improbum ſervum appellabat, quoniam non vocatus ſeſe ingereret, & invitum traheret ad quieſcendum, Sabbatis omnibus hoc diligentiſſimè obſervavit, ut cùm occidente Sole orare cœpiſſet, non niſi exoriente ceſſaret. Itaque ſemper ſic cum ſom- H no pugnavit, ut ſabbatorum noctibus nihil ei cederet, aliis tam parum, ut etiam naturam viciſſe videretur. *Metaphraſt. & Sur. Tom. 4.*

Beatus HIERONYMUS ad Euſtochium virginem ſcribens, cum quibus in eremo corporis fatigationibus contra urbanarum voluptatum cogitationem contenderit, enarrat, de ipſa etiam cubandi auſteritate mentionem faciens: Siquando, inquit, repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebat. Et quiſpiam ſecurum ſe arbitratur, ſi vel in ſtratis paleis, vel vili tomento cubitaverit, vel pluſculum, quàm compellit neceſſitas, quieti indulſerit? Non poteſt reſiſtere diabolo, qui facilè ſuperatur à ſomno. *S. Hieron. ad Euſtoch.*

Propterea quidem MARTINUS quoque Turonenſis Epiſcopus (ſicuti de illo Euſebius ad Severum ſcribens teſtatus eſt) ſub ſtrato humi cilicio cubans, frangebat ſomni mollitiem lectuli rigore. Itaque nunquam tam altè conſopitus eſt, ut ſentire non poſſet furem illum, qui perfoſſo pariete pede-

pedetentim ingrediens expilat ſtertentium domos. Diabolus A enim ſemper vigilat, ut eos, qui non vigilant, perdat, perimat, & mactet. *Sever. Sulpit. Dial.2.*

GERMANUS Antiſiodorenſis Epiſcopus, lectulum ſuum cilicio ſaccoque, & cinere ſtravit, ut non lectum, ſed luctum, & doloris, potius, quàm quietis locum diceres. Inſuper ipſe quoque (ut in vita ejus ſcriptum legitur) ſic jacens identidem ſuſpirare, ingemiſcereque audiebatur, ita ut cùm parumper jacuiſſet (ad nocturnas enim ceremonias celebrandas primus exurgebat) multò minus dormiſſe putaretur, quam priùs, cùm jacuerat. O te felicem, Germane, qui in cinere dormiens, in vitam evigilaſti ſempiternam, aſcendens ad illud Chriſti, Beatorumque omnium immenſum, inæſtimabile, cœleſte, divinumque contubernium! Quàm exigui temporis labor, quàm ingentis jucunditatis tibi peperit quietem? *Hericius Monach. in vita Germani ad Car. Cal. Sur. Tom.4.*

Ad quam perveniendi cupiditate incenſus non mediocre Ordinis Prædicatorum ornamentum VINCENTIUS, diem penè totum ſermonibus ad populum faciendis, noctem multam B obſecrationibus, lectionibuſque, partem ejus minimam ſomno dicitur impendiſſe. Cubitaſſe autem, cùm durius, ſarmentis ſubſtratis: cùm mollius, paleis: cùm honeſtius ſacco, *Sur. Tom.2.*

BERNARDINUS verò, nec ideò illis (mea quidem ſententia) minor, quia ex Collegio Minorum fuit, etiam antequam Religionem profiteretur, Religioſi vitam vixit. Quodque ad rem pertinet, tunc quoque ad offerendum Deo laudis ſacrificium noctu conſurgens, nec quiete occuparetur, contemptis lecti ſtratis, ſuper pavimento veſtitus jacere conſueverat. Hoc vigiliarum præludio ad monaſterium venit, tantò deindè minus ſomno conceſſurus, quantò perfectius vivendi ſubibat inſtitutum. Et quoniam ſacris initiatus omni ſanctitatis genere præcelluit, etiam vigilantiſſimum fuiſſe nemo dubitat. Quod ergo noctu didicerat vigilando, hoc die alios docuit prædicando. Multoſque, qui peccatorum oppreſſi veterno, in morte dormiebant, excitavit in ſalutem. Dederat enim Dominus verbum evangelizanti, dederat voci illius vocem virtutis. Niſi ſomni ſemper parciſſimus fuiſſet, nunquam tantùm in Dei ſervitio profeciſſet. *Anton. Hiſt. part.3.*

PAULA illa Romana, quæ ſummam generis nobilitatem ſuperavit vitæ ſanctitate, in graviſſima etiam febre (ut Hiero- C nymus inquit) mollia lectuli ſtrata non habuit, ſed ſuper duriſſimam humum in ſtragulis ciliciniis quieſcebat; ſi tamen illa quies dicenda eſt, quæ jugibus penè orationibus dies, nocteſque jungebat, illud implens de Pſalterio: Lavabo per ſingulas noctes, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. *Hieron. de laudibus Paulæ.*

Idem author ASELLÆ virginis ſanctitatem efferens laudibus, ait: Unius cellulæ clauſa anguſtiis, latitudine Paradiſi fruebatur: idem terræ ſolum, & orationis locus extitit, & quietis. *Hieron. Epiſt. ad Aſellam.*

Legimus etiam in monaſterio illo THEBAIDIS, in quo EUPHRASIA virgo ſummis effulſit virtutibus, moris fuiſſe, in terra cilicino ſtragulo tecta cubitare, ac quoties aliqua ſororum minus pudici ſomnii præſtigiis ludificatum ſe cognoviſſet, Abbatiſſæ confiteri, & quantum viſa diſplicerent, cinere ſtratis inſperſo teſtari. Quis igitur dubitat, quin iis, quæ ſomniatum crimen, ut commiſſum dolebant, dormitio ipſa multò plus ſolicitudinis attulerit, quàm quietis? ſemper verentibus, ne quam ejuſmodi ſomnorinam ſpeciem menti obſervari contingat. Præter hæc autem Euphraſia, cùm quicquam tale D per quietem paſſa fuiſſet, biduanis, triduaniſque jejuniis ſeſe macerabat, ut in cinere jacens, etiam cùm obdormiviſſet, cibos potiùs, quàm abominationes ſomniaret, *in vit. PP. in vita Euphraxiæ.*

Non tamen minori curæ OTHILIÆ virgini vigilias fuiſſe accepimus. Cui quamvis Monaſterii in quodam Bavariæ monte ſiti præpoſita eſſet, pro ſtragulo urſina pellis, pro pulvino ſaxum erat. Solebat enim, uti in cæteris religioſæ converſationis laboribus, ita & in hac parte gravius onus ſibiipſi, quàm aliis, quibus præerat, virginibus imponere. Super urſi autem pelle cubans, magiſque vigiliæ, quàm ſomno indulgens, conculcavit urſum illum, quem David typum gerens Chriſti, ſcribitur interfeciſſe, & de quo per Jeremiam dicitur: Urſus inſidians factus eſt mihi. Lapidem verò capiti ſupponens placuit lapidi illi, qui factus eſt in caput anguli, qui fecit utraque unum, cui nunc inſeparabiliter juncta, & ipſum, quocunque ierit, ſequens concinit canticum novum, quod in Apocalypſi nemo poteſt dicere, niſi fuerit virgo. Virginitas autem ipſa in tantis quidem verſatur periculis, ut ne quando corrumpatur, cuſtodiri à vigilantibus raro poteſt, à ſomnolentis nunquam. *Jacob. de Vor. Epiſc.* E *Januenſ.*

SOMNUS LONGUS, ET IMMODICUS.

Manè jam clarum reſerat feneſtras:
Jam ſtrepit nidis vigilans hirundo.
Tu velut primam, mediamque noctem
Parmeno dormis.
Dormiunt glires hyemem per omnem,
Sed cibo parcunt, tibi cauſa ſomni;
Multa quod potas nimiaque tendis
Mole ſaginam.
Inde nec flexas ſonus intrat aures,
Et locum mentis ſopor altus urget,
Nec coruſcantes oculos laceſſunt
Fulgura lucis.
Annuam quondam juveni quietem
Noctis, & lucis vicibus manentem, F
Fabulæ fingunt, cui Luna ſomnos
Continuarit.
Surge nugator, lacerande virgis.
Surge ne longus tibi ſomnus unde
Non times detur, trade membra molli
Parmeno lecto?

Auſon. Ephemer.

* SOMNIUM.

SOMNIORUM CAUSA.

SOMNIA nihil aliud ſunt, quam affectationes ſomni. Horum cauſa, & origo ſunt vapores, qui in cerebro latent. Hi enim, prout moventur, aut condenſantur, præcludunt meatus, per quos ſpiritus animales ad externos ſenſus vehuntur, quando interni ſenſus frequenter ſolvuntur, & operantur per imagines, quæ à vaporibus oſtenduntur, idque juxta illorum tenuitatem, craſſitiem, paucitatem, aut frequentiam. Fiunt itaque juxta, *Ariſt. lib. de ſomno cap. 3.* tranſvectione ſpecierum ab uno ſenſu ad alium bajulis ſpiritibus, ubi idem generationem ſomnii declarans, ait: dormientibus plurimam ſanguinis copiam ad ſenſum principem delabi, & unà motiones illas deſcendere, quæ in ea materia continentur; aliæ potentia, aliæ actu. Ait verò in materia ſanguinis, ſive in ſpiritibus, qui ni- G hil aliud ſunt, quam tenuiſſimæ purioris ſanguinis particulæ, quaſdam motiones actu eſſe, quaſdam poteſtate: quia, ut explicat *Themiſt. c.17. ſuæ paraph.* quædam imagines nobis dormientibus cunctantur, & torpent; aliquæ præſto ſunt, principiumque ſentiendi, id eſt, potentiam ad ipſarum uſum excitant.

Omnium igitur ſomniorum aliquas cauſas efficientes eſſe conſtat. Aut igitur illæ cauſæ corporeæ ſunt, aut incorporeæ, utræque etiam, aut novæ, vel anteà conflatæ.

Quatuor igitur ſunt ſomniorum genera. Novæ veræ, corporeæque cauſæ ſunt, cibi, potus: ut caput polypi, caules, cepe, fabæ, & quæcunque caput petunt, & præcipuè atram bilem generantia. Sed jam paratæ, humores ſunt. Bilis enim flava ignes pugnaſque decernit: atra, lutum, canum, funera, carceres, timorem: ſanguinis, jocos, amœna loca, ſanguinem, purpuram: pituita, aquas, imbres, nives.

Incorporeæ autem præcedentes ſunt curæ, cogitationes, res memoriæ mandatæ, timor, ſpes, lætitia, triſtitia, odium, amor. At novæ ſunt, quæ à ſuperiore cauſa in animam illabuntur. Quæ omnia apud Hieronymum Cardanum luculenter deſcri- H buntur, & diſtinguuntur.

SOMNIORUM GENERA.

Auctor libri de ſpiritu, & anima, ſive is ſit HUGO Victorinus, (ſive alius) *cap.25. operis*, quinque ſomniorum genera enarrat: videlicet, oraculum, viſionem, ſomnium, inſomnium, phantaſma.

Oraculum, inquit, eſt, cùm inſomnis aliqua ſancta, graviſque perſona, vel etiam Deus, eventurum aliquid apertè, vel non eventurum, faciendum, vel evitandum nuntiat.

Viſum eſt, cùm id, quod viderat quis, eodem modo, quo apparuerat, evenit.

Somnium eſt quid figuris tectum, quodque ſine interpretatione intelligi non poteſt.

Inſomnium eſt, cùm id, quod fatigaverat vigilantem, ingerit ſe dormienti: ut cibi cura, vel ſtudium.

Phantaſma eſt, quando quis dormire cœpit, & adhuc ſe vigi-

lare

lare exiſtimat, aſpicereque videtur irruentes in ſe, vel paſſim A vagantes formas, aut lætas, aut turbulentas.

D. Gregorius lib.8. Moral. cap.13. & 4. l. Dial. cap. 48. ſex genera ſomniorum ex totidem cauſis orta commemorat. Aut enim, inquit, ex plenitudine, vel inanitate corporis ſomnia exiſtunt: aut ex antecedentibus diurnis curis; aut ex illuſione dæmonis; aut ex cogitatione hominis ſimul, & illuſione dæmonis: aut ex revelatione Dei, aut denique ex cogitatione hominis ſimul, & revelatione Dei.

Hippocrates in lib. de Somniis, ait Somnium duplex eſſe: videlicet divinum, & naturale. Divinum vocat, quod à Deo iniicitur, ut prænunciet inſignem aliquem eventum ad lætitiam, vel mœrorem, felicitatem, vel miſeriam; ſive alicujus privatæ perſonæ, ſive totius Reipublicæ pertinentem. Naturale appellat, quod ex affectione ipſius dormientis, & cauſis in eo latentibus ortum habet.

Nobis verò videtur, ſomnia appoſitè dividi in Divina, Dæmoniaca, Naturalia, & Animalia. Nos de ſingulis in præſenti aliquid dicemus.

B SOMNIA DIVINA.

Divina ſomnia ſunt, quæ à DEO inſpirentur: ſive id fiat immediatè à Deo; ſive Anglorum interventu, ut plerumque accidit.

Horum autem ſomniorum varii fines reperiuntur in Scriptura. 1. Ut quis à malo abſterreatur, ſicut factum ABIMELECH. *Geneſ.* 20. & Regi GERARÆ, & LABANO. *Geneſ.* 31.

Hanc inſinuat B. JOB *cap.4. v.13.* in horrore, inquiens, viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines, pavor tenuit me, &c. & alibi. Terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties.

2. Ut adhortetur ad aliquod bonum, ut GEDEONEM *Jud.* 7. & JUDAM ejuſque exercitum. 2. *Machab.* 15.

3. Ut moneat, vel doceat, quid agendum, fugiendumve, ut B. JOSEPH. *Matth.* 1. & 2. & tres Magos.

Hanc cauſam JOB ſignificavit his verbis *cap. 33. verſ.* 15. Per ſomnium aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina, ut avertat hominem ab his, quæ facit, &c.

4. Ut ſpiritum Prophetiæ, aut aliud ſpirituale donum ſimul C largiatur: quo pertinet juxta nonnullos iſta MOYSIS *Num.* 12. Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad eum. Significare volunt, quòd ſpiritum prophetiæ vel viſione, vel ſomnio collaturus ſit: potiùs crediderim agere de iis, quibus jam dato prophetiæ ſpiritu ſignificat ſe poſteà cum eorum nullo, tam familiariter, quàm cum Moyſe acturum; cum hoc ore ad os, cum aliis dumtaxat per viſionem, & ſomnia.

Melius huc facit illud *Joelis cap.2. v.28.* Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt, præceſſerat enim, Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri.

Sic donum ſapientiæ, & prudentiæ in ſomnis datum SALOMONI. 3. *Reg.* 3.

Sic promiſſio obventuræ dignitatis JOSEPH, & MARDOCHÆO. *Geneſ.* 37. *Eſth.* 11.

5. Ad revelationem alicujus myſterii. *Geneſ.* 28. Vel magnarum Reipubl. aut imperii viciſſitudinem, ut Iſraelis. *Geneſ.* 41. Ægypti, & NABUCHODONOSOR. *Daniel.* 2. & 4.

Ad hæc capita reduci poſſunt multa ſomnia divina, quo- D rum in hiſtoriis Sanctorum fit mentio. Ut illa Africana apud *Victorem Uticen. de perſecut. Vandalic.* 2. oblata Euſebio Epiſcopo Carthaginenſi.

Viſio oblata Pincernæ poſt obitum Sidonii *apud Greg. Turon. lib.2. hiſt. Franc. cap.*23. & inter alia unum Mimi. *in vita Simeonis Sali. Metaphr.*

Aliud oblatum Monacho Cluniacenſi B. Virginis, tempore S. Odonis, *apud Joan. Monachum lib.3. vitæ Odonis c.9.* cujus occaſione B. Virgo cœpit vocari miſericordiæ mater.

Aliud BERTÆ, matri S. Suiberti, *apud B. Marcellinum c.1. vitæ Suiberti.*

Aliud S. ABRAMIO Confeſſori. *Metaphr. in ejus vita.*

Aliud HENRICO Imp. *Rupert. in vita S. Hereberti cap.* 26.

Aliud S. LUTGERO apud monachos Wertinenſ. *ejus vita cap.11. & 16.*

Aliud S. HUGONI Gratianopolitano, *apud Guidonem in ejus vita.*

Aliud HARTMANNO Tuitienſi. *Conrad. in vita S. VVolphelmi.*

Aliud multiplex Elpediphoro. *Joan. Presbyt. in vita S. Baſilei Epiſc. & Mart.* & alia innumera. E

DÆMONIACA.

Dæmoniaca ſomnia dicuntur ea, quæ à Dæmonibus inducuntur. Poſſunt verò ab illis induci eo pacto, quo ab Angelis; cùm utrique ſimilem naturam, ac virtutem habeant; tametſi non eundem finem ſpectent: Angeli enim gloriam divini numinis, hominumque ſalutem in iis, ut & in cæteris rebus; quærunt: Dæmones autem his omninò contraria.

Ac duo potiſſimùm ſunt, quæ illi impuri, & nefarii ſpiritus ſomniorum interventu aſſequi nituntur. Alterum eſt, hominum, ſi mentes non poſſint, ſaltem corpora, obſcœnis cogitationibus, & voluptatis illecebra contaminare.

Qua de re piè conqueritur *D. Auguſtinus l.10. confeſſ. c.*130. Idemque luculenter pertractat, JUSTINUS Philoſophus, & Martyr, in libello quæſt. quæ Chriſtianis à Gentibus proponebantur, *quæſt.* 21.

Alterum eſt: ignaros homines vana ſuperſtitione imbuere, ſi eos aliquorum ſomniorum eventu ad irrogandam iis fidem pellexerint. Quo artificio conſtat, Ethnicos multipliciter fuiſſe deluſos, & in impietate obfirmatos.

Utque cætera hujus omittamus exempla, narrant *Philoſtra-* F *tus, Pauſanias, & Strabo*: Qui variis oppreſſi morbis, ÆSCULAPII, SERAPIDIS, & AMPHIARAI templa adibant omnium ægritudinum remedia in quiete, dum eiſdem ſomnia obſervarentur, accipere conſueviſſe. Quod idcircò dæmones faciebant, ut vel ſibi, qui ea remedia ſuppeditabant, vel tribus illis hominibus in Deorum numerum relatis, divinus honor tribueretur. Alia multa commemorant, *Tullius lib.1. de divinat. & l. de natura Deor. Herodot. lib.1. Valer. Max. lib.1. c.6. Alex. ab Alex. lib.5. c.25.*

Minus notum, quod de VENERE Gazæa ſcribit *Marcus* hiſtoricus teſtis oculatus, *in vita S. Porphyrii Epiſcopi*. In loco, ait, qui vocatur tetramphodos, [hoc eſt quadrivium) ſtabat ſtatua marmorea, & dicebant eam eſſe Veneris, erat autem ſuprà aram marmoream: ſtatuæ verò effigies erat nudæ mulieris, quæ palàm oſtentabat verenda ſua. Statuam autem in honore habebant omnes cives, maximè verò mulieres lucernas accendentes, & thure ſuffientes. Dicebant enim eam in ſomnis reſpondere iis, qui volunt inire matrimonium. Decipiebant autem ſe invicem mentientes. Sæpè juſſi à dæmone contrahere, tantùm abfuit, ut rectè ſuccederet; ut inter eos fierent divor- G tia, &c. Addidit quoque idem auctor de ſtatuæ ad ſignum crucis dejectione, dæmoniſque fuga.

Hujuſmodi quoque ſunt ſomnia Anabaptiſtica, & fuere olim Enthuſiaſtarum; & admiranda quædam Gentilium, quæ ad naturales cauſas nullo modo, vel ægrè poſſunt referri.

Tale fuit ſomnium EPITHELIS Meſſenii de anu liberanda per humi effoſſionem inter myrtum, & ſimilacem. *Pauſ. in Meſſen.*

Tale ÆDESII Philoſophi *apud Eunapium in ejus vita.*

Tale matris ATTILÆ de filio. *Ant. Bonf. rer. Hung. l.3. Dec.1.*

Tale item PTOLOMÆI *apud Tacitum lib.4. Hiſt.*

Tale NESTORII Athenienſis *apud Zozimum l.4. Annal.* & multa alia *apud Valer. Max. l.1. c.7. & Athen. lib. 13. Dipnoſ. c.13.*

NATURALIA.

Naturalia ſomnia dicuntur, quæ ex affectione corporum, temperamento, humorum incurſionibus, alliiſque ejuſmodi naſcuntur. Nam ii, quos melancholia infeſtat; ſomniant triſtia: ut funera, caliginem, tenebras. Qui flava bile redundant, H rixas, jurgia, inimicitias. In quibus eſt ſanguinis redundantia, videre ſibi videntur rubentia, ignes, uſtiones. In quibus multum inſidet pituitæ, aquas, portus, natationes, pluviam; & id genus. Similiter quibus animalis vis humorum multitudine premitur, gravia, quædam ferre onera ſibi videntur: & contrà, qui tenui, levique temperamento ſunt, nunc tranare præpetibus pennis aerem, nunc velociſſimo curſu ferri ſe putant.

Hinc Medici, *teſte Ariſtotele in lib. de divinat. per ſomnia c.1. & Hippocrate in lib. de inſom. & 6. Epid.* admonent, notanda, & expendenda eſſe ægrotantium inſomnia, ad eorum morbos dijudicandos, curandoſque. Ex ea namque obſervatione ſatis probabilem de qualitate morbi conjecturam ineunt, & qui humores intus lateant, qui eorum defectus, vel exſuperantiæ ſint, dignoſcunt.

Qua de re extat liber GALENI, qui inſcribitur, De præſagio ex ſomniis ſumendo. Ubi narrat, cùm Quidam inter dormiendum cruris ſibi alterum factum lapideum cerneret, præter omnem opinionem crus ei paralyſi obtorpuiſſe.

Ab

Ab his naturalibus pendent etiam ſomnia vana, qualia vul-
A gus ſolet obſervare, & neſcio quid portenti ex iis elicere. Ita juxta vulgi opinionem Aquilæ per ſomnum ſuprà caput volantes infortunia portendunt.

Speculum contueri, ſobolem, contemplari in aqua faciem: item mortuos videre fratres, vel ſorores, vitam longam.

Motus terræ, fraudem.
Apes captare, lucrum.
Nuptiæ, aliquem ex affinibus è vita migraſſe.
Pontem fractum tranſire, timorem.
Gaudium, triſtitiam denuntiat.
Deum adorare, lætitiam.
Capillitio privari caput, mortem amicorum.
Domorum incendia, infamiam.
Leporem videre, mortem.
Manus mundare, moleſtiam.
Manus videre immundas, damnum, & periculum.
Manus attollere, honores.
Ferrum tractare, longam vitam.
Agnos paſcere, dolorem.
B *Plumbum tractare, morbum.*
Duas videre Lunas, honorem.
Monachum videre, mortem, vel calamitatem.
Muſcas videre, injuriam.
Pingues videre boves, rerum abundantiam.
Boves errare, lucrum.
Boves aquam ingredi, malum.
Fornaces ardentes, peregrinationem.
Amittere dentem, vel oculum, mortem alicujus amici.
Oleo perfundi, felicitatem.
Muſicorum inſtrumentorum tinnitum audire, iram.
Zizaniam ſerere, infamiam.
Nummos tractare, iram.
Mortuos videre equos, felices rerum eventus.
Mutum eſſe, celerem lætitiam.
Flere per ſomnum, gaudium.
Serpentes interimere, victoriam.
Vela videre, malum.
Dentes habere ſanguinolentos, mortem ſomniantis.
Dentes extrahi, mortem alterius.
C *Teſtamentum condere, malum eſt.*
Aves intrare domum, jacturam.

☞ *Vide infrà Tit. Conjectatio ſomniorum fortuitorum.*

CARDANUS autem illa ſomnia, quæ nos inſtruunt de rebus ſecretioribus, dividit in duo genera, alia, inquit, ſimpliciter abdita oſtendunt, ut Idola: alia artificioſa conjectura opus habent: ut inſomnia, ſeu viſa. Ambo hæc genera licèt de iiſdem, Idola tamen cùm idem per idem demonſtrent, diſtinctione opus non habent.

Quæ ergo viſa dicuntur, octo ſunt generum, alia enim de vitæ longitudine, ac brevitate docent, atque mortis generibus: alia verò de valetudine, quædam etiam animi affectus præcipuos demonſtrant. Quædam oſtendunt corporis calamitates fortuitas, luxationem, vulnera, verbera, caſum, percuſſionem, ictum, morſum. Quædam alia operationes voluntarias artium, exercitationum, concubitum, rixas, peregrinationes, navigationem, convivia. Atque hæc quinque in nobis. Extra nos autem: opes primùm, ac honores, ac dignitates: demum filii parentes, fratres, ac familia tota cum amicis, nec ullum eſſe quæſitum poteſt, quod non ad aliquod horum generum
D pertineat.

ANIMALIA.

Animalia ſomnia dicuntur, quæ verſantur circa res eas, quibus per diem occupati fuimus. Harum namque ſimulacra, ut ſunt recentia, ita plerumque magis movent.

Unde Lucretius *Poemat.*

In ſomnis eadem pleroſque videmus obire.
Cauſidicos cauſas agere, & componere leges:
Induperatores pugnare, & prælia obire:
Nautas contractum cum ventis degere bellum.
Et quo quiſque ferè ſtudio defunctus adhæret,
Aut quibus in rebus multùm ſimus ante morati.

Ad idem genus pertinent ſomnia rerum, & perſonarum, in quas odio, amore, timore, aut ſpe vehementer afficimur. Cùm ſimiliter & horum ſpecies, ad aſſiduum ipſarum uſum valdè actuoſæ ſint, & ad excitandam potentiam efficaces. Hinc liberales, & benefici ſomniant, ſe aliis largiri: mendici, petere: cantores, canere: Philoſophi, diſputare: avari, pecuniam congerere: alii alia ſimilia: ideòque *Ariſtot.* 1. *Ethic. cap.* 13. bonorum hominum ſomnia meliora eſſe inquit, quàm aliorum: propterea quod conſilia, quæ ad virtutum officia exercen- E da ſollicitè agitant, eadem eis in ſomno occurrunt.

SOMNIORUM INTERPRETATIO, ET DIVINATIO.

ETHNICORUM SENTENTIA, & praxis.

De arte divinandi, ſeu præſagiendi futura ex inſomniis, quam Somniſpiciam vocant, diverſæ, ac repugnantes fuere veterum Philoſophorum ſententiæ. Nam Epicurus, Metrodorus Chius, Xenophanes Colophonius, & ex Romanis, Tullius de Divinatione libris, eam de medio ſuſtulerunt: contra Orpheus, Pythagoras, & Platonici, ac Stoici, non parum authoritatis eidem irrogarunt, etſi diverſa ratione. Stoici namque omnia ſomnia aliquid portendere arbitrati ſunt: Platonici quædam falſa eſſe, atque inania vitæ ludibria cenſuerunt; alia vera, & utilem futurarum rerum prædictionem continentia.

Vanitas conjecturæ ex ſomniis probatur quotidianis exem- F plis, eorum, qui cùm ſomnia interpretari contendunt, ipſi dormire, & ſomniare videantur. Cujus rei præter alia duo ſunt pervulgata exempla.

Curſor ad Olympia proficiſci cogitans, viſus eſt in ſomniis curru quadrigarum vehi. Manè ad Conjectorem adiit. At ille, Vinces, inquit, id enim celeritas ſignificat, & vis equorum. Poſt idem *ad Antiphontem*: Is autem, Vincere, inquit, neceſſe eſt: An non intelligis ante quatuor cucurriſſe?

Alius ad Interpretem detulit, aquilam ſe in ſomnis viſum eſſe factum. At ille, Viciſti: iſta enim vehementius nulla avis volat. At huic Antiphon, Tu verò, inquit, te victum eſſe non vides? iſta enim, aves inſectans alias, & agitans, ſemper ipſa poſtrema eſt.

Patet igitur, quam flexiloqua, & obſcura ſint, tum inſomnia, tum eorum conjectationes. Quòd ſi quis ad ſecundum modum, quo ſomnia gigni poſſunt, confugiat, hoc eſt ad ipſarum imaginum temerè fluitantium motus, liquidò conſtat, quàm ridiculum ſit, in tanta levitate, & inconſtantia divinatricem vim conſtituere.

Aliquam tamen divinationi è ſomnis auctoritatem dan- G dam ſuadebant variæ hiſtoriæ, quæ conjectorum induſtriam aſſerebant non ſemper fallere. Nos duas hoc loco proponemus.

Detulit ad conjectorem quidam, ſomniaſſe ſe, ovum pendere ex faſcia lecti ſui cubicularis. Reſpondet Interpres theſaurum defoſſum eſſe ſub lecto. Quæſivit: invenit auri aliquantum, idque circumfuſum argento: miſit interpreti, quantulum de argento viſum eſt. Tum ille. Nihilne de vitello? id enim ex ovo videbatur aurum ſignificaſſe, ſicuti & album ovi argentum.

Cùm PTOLEMÆUS Alexandri familiaris, in prælio telo venenato ictus eſſet, eoque vulnere ſummo cum dolore moreretur, Alexander aſſidens ſomno eſt conſopitus: tum ſecundùm quietem viſus ei dicitur draco is, quem mater Olympias alebat, radiculam ore ferre, & ſimul dicere, quo illa loco naſcetur (neque longè aberat locus) ejus autem eſſe vim tantam, ut Ptolemæum facilè ſanaret. Tum Alexander experrectus, narravit amicis ſomnium, & dimiſit, qui illam radiculam quærerent: qua inventa, & Ptolemæus ſanatus dicitur, & multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati. H

*Plinius lib.*7. AMPHICTYONI Deucalionis filio, ſomniorum, & oſtentorum interpretationem aſſignat. Pauſanias Amphiaraum ὀνειράτων διακρίσει excelluiſſe ſcribit in Atticis. Clemens Στρωματεῦσ refert Telmiſſeos excogitaſſe primos τὴν δι' ὀνείρων μαντείαν, futurorum per ſomnia prænotionem: quod repetit & Tatianus Aſſyrius, qui pro Chriſtiana fide mortem oppetiit: Fuit autem Termiſſus Lyciæ oppidulum, Strabone teſte, non Cariæ, ut opinatur Cicero, deceptus Tragicorum auctoritate: in qua urbe aruſpicum diſciplinam excelluiſſe fatetur idem Cicero. *Et Arrian. lib.*2. *de reb. geſtis Alex. Maced.* commemorat Telmiſſeos vates, à natura explicandis divinis rebus, & enunciandis futuris eſſe deditos.

AMPHIARAUS divinitatis nomen ſibi arrogavit' quòd in explicandis ſomniis prudentiſſimus eſſet. Itaque poſt mortem ad ejus tumulum oraculum inſtitutum fuit. *Eraſ.*

DIOGENES conſiderans hominum vitam, & mores, ac videns civitatum gubernatores philoſophos, & alios hujus notæ homines, dicebat nullum animal homine ſapientius eſſe. Idem ſi videret ſomniorum interpretes, conjectores, &c. ajebat, ſibi

nihil homine videri ſtultius. *Laert. l.*6. *Eraſ. l* 3. *apoph.* Idem
A Superſtitionem hominum, qui in ſomniis terrerentur, hoc pacto irridebat: Quæ vigilantes, inquit, agitis, ea non curatis: quæ verò dormientes ſomniatis, ſolicitè perquiritis. Ad felicitatem enim, aut infelicitatem hominis non tam refert, quid patiatur in ſomniis, quam quid agat vigilans. Ibi quoties aliquid turpe committit, oportebat metuere Deorum iram, ac triſtem eventum, non ſi quid dormientibus ſit viſum. *Laert. lib.*6.

THALES interrogatus, quantum diſtaret à mendacio veritas. Quantum, inquit oculi ab auribus. Sentiens ea demum eſſe indubitatæ fidei, quæ contuemur oculis: fabulis hominum haud tutò credi. Eodem pertinet Homericum figmentum de ſomniis, quorum quæ ſubvolant per portam corneam, vera ſunt, quæ per eburneam, vana. Corneæ portæ involucro deſignans oculos ob coloris ſimilitudinem: eburneæ os, ob candorem dentium. *Eraſ. lib.*8. *apoph.*

ZENO Eleates dicebat, è ſuis quemque inſomniis deprehendere poſſe, quantum in philoſophia profeciſſet, ſi nihil illic vel appeteret, vel faceret nefariæ rei. Tum enim animus
B in profunda tranquillitate conſtitutus veros affectus prodit. Contra quæ vigilantes non audent profari, aut agere, ea noctu occurrunt in ſomniis. *Laert. lib.*9. *cap.*5.

SENTENTIA CATHOLICORUM.

Ex ſomniis naturalibus licet divinare naturaliter, id eſt, conjectare de hominis temperamento, ſanitate, affectu, & morbis imminentibus, ita HIPPOCRATES, & GALENUS libros ſcripſerunt de præſagiis ſumendis ab inſomniis, & ratio eſt, quia effectus naturaliter indicant ſuam cauſam: ſomnia autem hæc ſunt affectus certi temperamenti, & certi humoris in corpore prædominantis.

Ex ſomniis quoque à DEO, vel ANGELIS immiſſis divinare licet, ſed ei tantùm, qui eorum ſignificationem à Deo, vel Angelo accepit.

Ita JOSEPH Patriarcha *Geneſ. cap.*40. ex ſomnio, quod Pincerna, & paſtorum magiſter in palatio Pharaonis incarcerati viderant, divinabat hunc ſuſpendendum, illum poſt tres dies liberandum.

C Pari modo idem ex ſomnio PHARAONIS ſterilitatem prædicebat. *Geneſ. cap.*41.

Similiter DANIEL interpretatur ſomnium NABUCHODONOSOR, *c.*4. & 5. quæ illi ventura certò præſignificabat.

PHILO ſcribit, teſte *Cælio Rhodigino lib.*27. *cap.*14. ex Juſtino, Abrahamum omnium primum involucra ſomniorum ſolviſſe, ac reliquis patefeciſſe.

Quaſi, qui apprehendit umbram, & perſequitur ventum, ſic qui attendit ad viſa mendacia, inquit *Eccleſ.* Itaque dum, quidam jocandi, vel tentandi gratia, per ſomnium ſe vidiſſe diceret, regem Aragonum ALPHONSUM donaſſe ſibi ſacculum auro refertum, reſpondebat Alphonſus: An ignoras nullam apud Chriſtianos fidem dari ſomniis? Illa enim, ut eſt apud Tibullum.

—— fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falſa timere jubent.

Laurent. Beyerlinck in Apophtheg. Chriſtian.

Quandoque tamen, ſomnia eſſe futuri eventus prænuntia ſubiecto exemplo confirmatur. Quo die HERACLII Imp. filius Conſtans, cùm claſſe cum Abulanaro Duce congrederetur, per ſomnium ſe Theſſalonicæ eſſe exiſtimabat, cùmque illud in-
D ſomnium Conjectori propoſuiſſet, Utinam, dixit ille, ò Imperator, hac nocte neque dormiviſſes, neque tibi inſomnium fuiſſet oblatum. Quod enim tibi Theſſalonicæ verſari viſus; indicat, Alteri cede victoriam. Verum conjectaſſe, probavit eventus. *Cedrenus in Conſtant. Beyerlinck in Apoph. Chriſtian.*

JUNIANUS Majus Neapolitanus, vir literatus, præterquam quod in imbuendis doctrina pueris caſtigatiſſimæ diſciplinæ: ſomniorum quoque omnis generis ita verus conjector fuit, ut ipſius reſponſa divina ferè monita haberentur. Ad eum quotidiè ſomniantium turba, hominesque celebri fama, & multi nominis de ſomniis conſultum veniebant. Declarabat definiebatque ille expoſitè, atque apertè ænigmata, ſeu potiùs oracula ſomniorum, ſive boni, ſive mali prænuncia: ita aptè, ut judicium factum à veridico diceres. Multi quoque illius monitu, vitæ interitum, nonnunquam animi ægritudines vitarunt. *Alex. ab Alex. lib.*1. *cap.*11. hunc præceptorem ſuum in Grammaticis fuiſſe ait.

Matrona quædam Neapolitana, multi, & celebrati nominis, ſæpè referre ſolita eſt viris bonis, ac piis, quamcumque in ſomnis imaginem vidiſſet, eandem ſibi poſtera luce repræſen- E tari. Sæpius etiam, quæ ſibi eo die eventura erant, ſomnio monita, prædicebat. *Alex. ab Alex. lib.*1. *cap.*11.

Refert *Delrio in Diſquiſit. Magic. lib.*4. *cap.*3. *q.*6. narraſſe ſibi aliquando JUSTUM Lipſium, fuiſſe Bruxellæ ſutoris cujuſdam Uxorem, quæ plurima prædicebat, ab eventu ad unguem comprobata. Fatebatur autem in ſomnis ſe quendam Spiritum ingerere ſpecie diffuſi corporis candidi, cujus lineamenta nequibat dignoſcere, & ab eo doceri ſibi omnia, hunc cogere, ut cum vitæ periculo denuntiet aliis, quæ in ſomnis edocta, at Delrio ſupra atrum illum cenſet fuiſſe, idque variis rationibus probat.

REGULÆ QUÆDAM GENERALES PRO CONJECTATIONIBUS EX SOMNIIS, eorumque interpretatione.

*Traduntur ab Hieronymo Cardano cap.*15. *de ſomniis lib.*1. *quas Lector curioſus apud eum reperiet.*

F

* CONJECTATIONIS, SEU DIVINATIONIS EX SOMNIIS FORTUITIS, ET VANIS varietas, ex vulgi opinione,

Verſibus comprehenſa, & ab Hadriano Junio Medico luce donata.

Supra nonnulla de hac in medium adduximus, ubi de ſomniorum generibus diſſeruimus. Quibus hoc loco adiicimus Senarios nonnullos, quos HADRIANUS Junius Medicus aliquando vulgavit, quamvis auctorem non exprimat, in quibus vulgares, pleræquæ obſervationes, & conjecturæ ex ſomniis adferuntur. Sic autem ſe habent.

Cælare noli ſomnium, quando liquidum eſt.
Pigrè moveri, ſemitam duram facit:
Actus ſecundat, ſomnies ſi currere.
Calcare prunas, noxiam ſignat gravem.
Botros edere, notat madores imbrium.
Ficus edere, cavilla ſcurrarum notat.
Moleſtias ſignat, vorare dulcia. G
Comeſa lactuca, indicat morbum gravem.
Ova edere, continereque, oſtendit mala.
Si ſomnians ridebis, angor te premet:
Sed ſi fleas, repleberis tunc gaudiis.
Succendi ad iras hec acerbum eſt ſomnium.
Petræ inſidens ſtabili, bonam ſpem contine.
Muro inſidentem, ſors ſecunda te manet.
Mulcta gravaberis ſuper ſtercora ſedens.
Putoris omen eſſe crede moleſtias.
Animæ inquinamentum notat cœno infici.
Cœnoſa peragrans, ſentiet vitium ingeni.
Fons limpidus, mentem ſerenam denotat.
Potare limpidam, bonum omen prædicat.
Cœnoſam aquam bibens, agit in anguſtiis.
Ebulliens aqua, perduelles nuntiat.
Serenat animum vapidi potus meri:
Sopit dolores dolio exhauſtum merum.
Vinum bibentem pugna te manet gravis.
Fluvius inundans, hoſtilem incurſum notat.
Æquor ſerenum nare, fauſtum eſt ſomnium.
Æquor natare turbidum, angores notat. H
Aurum tenere ſomnians, voto excides.
Clavos tenes, ab hoſte periculum cave.
Jactura certa eſt, paſſer evolans manu:
Tenens columnam, numinis ſperes opem.
Votum obtinebis, ſi manu accipitrem premas,
Accipiter evolans malum adfert Principi.
Claves tenere, ſtabile fœdus indicat.
Remoram notant flagella torta vitium.
Se eluere totum, exterminat curas graves.
Abluere dextram, curarum faſcem fugat.
Eluere plantas, diluit curas graves.
Latos pedes habere, portendit malum.
Viam ingredi nolito, ſucciſo pede.
Inglorius eris, te uſtulatum ſomnians.
Curis eris liber, necem ſi ſomnies.
Volare, ſucceſſum rei lætum notat.
Præſagiunt pugnas hoſtiles baſia.
Adverſa ſors portenditur præcipitio.

Se jacere pronum in foſſam ſignat triſtia.
A *Eſt myſticum, cœlum videri volvier.*
Currentem equi pullum videre, myſticum eſt:
Damnum ominare, ſi columbas videris,
Viſi boves, ſiniſtra protendunt mala.
Diram augurantur mortui peſtem boves.
Viſum cadaver indicat necem gravem,
Eſt ominoſa res, atros videre equos:
Albos equos videre fauſtus nuntius.
Signat periculum ab hoſte veſparum agmina.
Videre lumen, res loco in claro notat,
Pelagus quietum cernere, eſt omen bonum.
Fremitus maris, negotii turbas notat.
Albens caro, res auſpicata eſt admodùm.
Nigratio cutis bonum nullum notat.
Canum latratus hoſtium inſultus notat.
Hoſtile conamen cadet, viſa nive,
Omen bonum in ſomno eſt amictus candidus.
At pulla veſtis curæ inanem non facit.
B *Purpurea veſtis non gravem morbum notat.*
Rubens ſtola eventus rerum felicitat.
Magnam fovet ſpem regia indutus ſtola.
Diſrupta veſtis curarum faſcem eximit.
Præciſa zona, celeriter expedit viam.
Damna in negotiis, coma abraſa indicat.
Diſcrimen ingens, crinium caſus notat.
Tentus manu enſis, auguratur prælium.
Confringere enſes, hoſtium ſtragis nota eſt.
Tonitrua ſomni nuntiorum dicta ſunt.
Qui ſenem videt, manet eum dignitas.

Somniorum Diverſa Repræsentatio, & imago Menti Objecta.

Poetarum exemplis, & teſtimoniis adſerta.

Prudent. *hymno ante ſomnum.*

Sed dum pererrat omnes
Quies amica venas,
Pectuſque feriatum,
Placat rigante ſomno,
Liber vagat per auras
Rapido vigore ſenſus,
C *Variaſque per figuras,*
Quæ ſunt operta, cernit.
Quia mens ſoluta curis,
Cui eſt origo cælum.
Puruſque fons ab æthra,
Iners jacere neſcit.
Imitata multiformes
Facies ſibi ipſa fingit,
Per quas repentè currens
Tenui fruatur actu.
Sed ſenſa ſomniantium
Diſpar fatigat horror.
Nunc ſplendor intererrat,
Qui dat futura noſſe.
Plerumque diſſipatis
Mendax imago veris,
Animos pavore mæſtos
Ambage fallit atra.
Quem culpa rara morum
Non polluit frequenter,
Hunc lux ſerena vibrans
D *Res edocet latentes.*
At qui coinquinatum
Vitiis cor impiavit,
Luſus pavore multo
Species videt tremendas.
Hoc Patriarcha noſter
Sub carceris catena
Geminis ſimul miniſtris
Interpres approbavit.
Quorum reverſus unus
Dat poculum tyranno,
Aſt alterum rapaces
Fixum vorant volucres.
Ipſum deinde regem
Monuit famem futuram
Clauſis cavere acervis.

D. Nazianzenus. *Carm. 1. de rebus ſuis.*

Ac pro magnificis opibus, miſeroque tumultu
Qui me nocte etiam per inania ſomnia vexat,
(Viſa etenim curas referant nocturna diurnas)
E *Divinus noſtris ſplendor radiabat ocellis.*

Ariſtophanes Nubibus *v. 23.*

Philon, iniquè agis: manè in tua orbita
S. Hoc illud eſt malum, quod me malè perdidit.
Nam dormiens etiam rem equeſtrem animo agitat.

Nonnius *lib. 42. Dionyſiacorum.*

Bacchus dulcem dormivit ſomnum, ſomnium ei fuit puella
Veſtimento nuptiali cooperta, oppoſitum enim
Opus quod facit quis in die, nocte cernet.
Paſtor dormiens cornutos boves in paſcuum trahit:
Retia venatori apparent, imago ſomni.
Ruſtici verò dormientes arant terras.
Sulcum verò ſeminant ſpiciferum. Arida verò
Virum meridiantem occupant ardenti ſiti
In fluctum, in aquam ductum fallax ſomnus propellit.
Sic etiam Bacchus habens ſimulacra laborum
Æmulo volubilem mentem in triumphum miſit ſomnio,
Et umbroſis nuptiis converſabatur.

Plautus Mercat. 2. *ſc. 1. pr.*

F *Miris modis Dii ludos faciunt hominibus,*
Miriſque exemplis ſomnia in ſomnis dabunt.
Velut ego, nocte hac quæ præteriit proxima
In ſomnis egi ſatis, & fui homo exercitus.

Petronius Arbiter.

Somnia quæ mentes ludunt volitantibus umbris,
Non delubra Deum, nec ab æthere Numina mittunt,
Sed ſibi quiſque facit, nam cùm proſtrata ſopore
Urget membra quies, & mens ſine pondere ludit,
Quidquid luce fuit, tenebris agit, oppida bello
Qui quatit, & flammis miſerandas ſævit in urbes,
Tela videt, verſaſque acies, & funera Regum,
Atque exundantes perfuſo ſanguine campos.
Qui cauſas orare ſolent, legeſque, forumque,
Et pavidum cernunt incluſo corde tribunal.
Condit avarus opes, defoſſumque invenit aurum.
Venator ſaltus canibus quatit, eripit undis,
Aut premit everſam periturus navita puppim.
G *Scribit amatori meretrix: dat adultera munus*
Et canis in ſomnis leporis veſtigia latrat.
In noctis ſpatio miſerorum vulnera durant.

Auſonius *in Ephemeride.*

Nunc fora, nunc lites, lati modo pompa theatri
Viſitur: & turmas equitum, cladeſque latronum,
Perpetior, lacerat noſtros fera bellua vultus.
Aut in ſanguinea gladio graſſamur arena.
Per mare naufragium gradior pedes: & freta curſu
Tranſilio, & ſubitis volito ſuper aera pennis.
Infandas etiam veneres, inceſtaque noctis
Dedecora, & tragicos patimur per ſomnia cœtus,
Perfugium tamen eſt, quotiens portenta ſoporum
Solvit rupta pudore quies: & imagine fœda
Libera mens vigilat: totum bene conſcia lectum
Pertractat ſecura manus, probroſa recedit
Culpa thori, & profugi minuiſcunt crimina ſomni:
Cerno triumphantes inter me plaudere: rurſum
Inter captivos trahor exarmatus Alanos.
Templa Deum; ſanctaſque fores, palatiaque aurea
Specto, & Sarrano videor diſcumbere in oſtro.
H *Et mox fumoſis conviva accumbo popinis.*
Divinum perhibent vatem ſub frondibus ulmi
Vana ignavorum ſimulachra locaſſe ſoporum,
Et geminas numero portas, quæ fornice eburno
Semper fallaces glomerat ſuper aerea formas,
Altera, quæ veros emittit cornea viſus.
Quòd ſi de dubiis conceditur optio nobis:
Deeſſe fidem lætis melius: quàm vana timeri.
Ecce ego jam mallim, nam dum modò ſemper
Triſtia vaneſcant, potiùs caruiſſe fruendis
Quàm trepidare malis ſatis eſt benè, ſi metus abſit,
Sunt & qui fletus, & gaudia controverſa
Conjectent: varioque trahant eventa relatu:
Ite per obliquos cœli mala ſomnia mundos,
Irrequieta vagi qua, diffiant nubila nymbi,
Lunares habitare polos, quid noſtra ſubitis
Limina, & anguſti tenebroſa cubilia tecti?
Me ſinite ignavas placidum traducere noctes,
Dum redeat roſeo mihi Lucifer aureus ortu.

* Sophi.

A Qui, Eorumque Origo, Religio &c.

De Sophis, eorumque origine ſcripſit *Joannes Barii. Ex cujus Aſiæ Decadibus* hæc tranſtulit *Cælius in Curio, in ſua hiſt. Saracenica*, an. ſalut. noſtræ M. CCC. LXIX. erat quidam Regulus inter Perſas, Ardenelim oppidum obtinens, Sophi appellatus, qui ſe ex Alis Muamedis generis ſtirpe, per Muſam Cazinum, ejus nepotem oriundum gloriabatur. Hic Babylonio Calyſa extincto, & adverſa factione, quam Turcæ tuebantur, à Tartaris depreſſa, cœpit liberius ſuam de religione ſententiam profiteri: & quia Hocemus, Alis filius, à quo ipſe ſe genus ducere jactabat, duodecim filios habuerat, volens aliquod ſectæ ſuæ, quo à cæteris dignoſceretur, ſignum imponere, inſtituit, ut qui ſuam ſectam amplecti vellent, tiaram ſub velo, quo caput Turcæ omnes involvunt (tulibantem appellant) purpuream geſtarent, quæ in medio extra tulibantem duodecim faſtigia emitteret. Eoque mortuo ſucceſſit filius Guines appel-
B latus, qui tantam ſibi in toto Oriente doctrinæ, ſanctitatiſque opinionem conciliavit, ut Tamerlanes ille clariſſimus Partorum Imperator, qui Bajazetem Turcarum Regem cepit, per Perſidem iter faciens, eum quaſi aliquem vivum inviſere voluerit: ab eoque Guines triginta captivorum, quos ſecum adducebat, millia dono impetrarit, quos ipſe poſt in ſecta ſua inſtituit, eorumque opera Secaidarejus filius in bellis uſus eſt, is enim Guine mortuo, Georgiis Scythiæ populis, ſuis finitimis, ſed Chriſtianis (horum viribus fretus) bellum intulit, multiſque illos cladibus afflixit, &c. Hæc de Sophorum origine dicta ſint. Hi cum Turcis continua bella ob Mahumetanam religionem gerunt, quoniam Sophiani unum Mahumeticæ religionis interpretem ſequuntur, & Turcæ alterum, qui quidem interpretes inter ſe ſunt diſſentientes, adeò ut Sophiani hæretici ſint nuncupati à Turcis, & Turci à Sophianis. Gens natura liberalis eſt, & civilitatis amans, literas, & artes colunt, nobilitatem agnoſcunt: in eo à Turcis differunt, quòd hi nullum ſanguinis, aut ſtemmatum diſcrimen norunt: Videatur *Petrus Bizarrus in deſcript. Perſarum, & Thomas Monadojus, qui Italicè ſcripſit.*

C Portò Sophorum nomen apud veteres Græcos uſitatum erat, qui σοφοί, id eſt, Sapientes vocari affectabant, immo quandocunque rem quampiam extollere volebant, eam nomine Sophos, neutro genere appellabant. Unde *Mart. lib. 1. Epigram.*

Audieris dum grande Sophos, dum Baſia captas,
Ibis ab excuſſo miſſus in aſtra ſago.

Ab hac voce Sophiſtæ dicti ſunt & Philoſophi, quo nomine Pythagoras primum uſus modeſtiæ cauſa, dum ſe non Sophum ſed Philoſophum voluit appellari, ut eſt teſtis *Cicero 2. de finib.*

* Sophiſta. Sophiſtica.

Definitio, et etymologia.

Sophista definitur pecuniarum aucupator, ab apparente ſapientia, & non exiſtente. Ita Ariſtoteles, juxta quem etiam eſt ſophiſticæ ſimulata, & non vera ſapientia: & ſophiſta is dicitur: qui ex ea, quam præ ſe fert, non vera, ſed ſimulata ſapientia quæſtum facit. *Lib. 1. de repreh. ſophiſt. c. 2.*

Sophiſtica eſt venatio juvenum divitum, ac illuſtrium, quæ fit per artem conciliandi, capiendi, acquirendi, privatim mer-
D cedem expetentem, pecunias exigentem, eruditionem oſtentantem. *Plato in Sophiſta.*

Sophista eſt genus hominum lucro deditum, caupo diſciplinarum animæ, juvenum, & divitum mercenarius venator, concordis hoſtis, contentioſus, contradicens, clamoſus, litigator, habet ſcientiam in opinione conſtitutam, ad tenebras ejus quod non eſt aufugit. *Idem eod. dialogo.*

Sophista eſt rerum vanarum imitator, & impoſtor. *ibid.* Ludit cum hominibus propter omnium differentiam, ſupplantans, & evertens illos, eorum more, qui ſedere volentibus ſcabella ſubtrahunt, & delectantur, ac vident, ſupinum jacentem intuentes. *Idem in Euthydemo.*

SOPHISTARUM EPITHETA.
Ex Heſegrando.

Ὀφρύανας πασίδαι, ἐμέγκα πεπηξγίνειοι,
Σακκογενῶ ότρόφοι κὴ λοπαδαργίδαι,
Ἱματιωπερίβαλλοι, νυλιποκαυβγεπίλαοι,
L. B. Theat. vit. Human. Tom. VII.
Νυκτιλαθραιοφάγοι, νυκτεπατεπλάγιοι,
E Μειρακεξαπάται, κὴ συλλαβοπευσιλαβηταί.
Δοξοματαιόσοφοι, ζηταρετησιάδαι.

Id eſt, ex lepidiſſima eruditiſſimi viri verſione ad verbum.

Siloni caperones vibriſſas peromenti,
Manticobarbicolæ, ex tenebropatinæ,
Obſuffarcira amicti, plani lucerni tuentos,
Noctilatentiferi noctidolo ſtudii.
Poli premoplagii, ſuteocaptiotricæ,
Remigoraucupidæ, nugieanoricrepæ.

Ejuſdem de diſputatoribus, ſeu Rixatoribus Sophiſtis.

Epigramma.

Quo te ambulando cumque vertas gentium,
Vitare non eſt diſputatorium genus,
Pugnax, protervum, factioſum, garrulum.
Quos pacis hoſtes ultima hæc ætas tulit.
Qui nocti lucem, nigra vertunt candidis,
Et quæſtionum triſtitate condiunt.
Natas in uſum ſobrii joci dapes.
F *Hos nec decorum eſt, nec tutum refellere.*
Tali hoſte victo, quis triumphus te manet?
Luctante eodem pugna gliſcit acrior.
Nec dignitatem fronte ferrea pudo
Expreſſus auget, alacritatem nec dabit.
Extorta rixis veritas. In jurgiis
Viciſſe nolle, cùm queas, victoria eſt.

Aliud.

Buccis tumidos neglige ſpumeis ſophiſtas,
Bullas ſtolidæ nebulæ, ſomniique plenas,
Infanti crepis cymbala rauca facta nugis:
Quorum ſtreperos ſic potes tu ulciſcere bombos,
Reddas neque gryphis inſtantibus, & taceto ridens.

Mores, Exempla, Et Apophthegmata.

Socrates, Euclidi contentioſarum argutationum admodùm ſtudioſo, Sophiſtis inquit, ò Euclides, uti poteris, hominibus non poteris. Judicans ſophiſticem inutilem ad publicas functiones, quas qui affectat, eum non oportet gryphis, & inanibus argutiis ludere, ſed hominum moribus ſemet accommodare. *Eraſ. lib. 3. apoph.*

G Plato, cùm à Dionyſio faſtidiretur, popoſcit congrediendi copiam, ea data hunc in modum diſſeruit: Si quem ſentires in Siciliam appuliſſe, hoc animo, ut tibi malefaceret, qui tamen non data opportunitate nihil mali faceret, an hunc impune dimitteres. Cùm Dionyſius reſpondiſſet, nequaquam, ò Plato oportet enim hoſtium non facta ſolum, verum & animi propoſitum ulciſci, Plato ſubjecit: Tum ſi quis tibi bene volens veniſſet in Siciliam, ut tibi boni quidpiam adferret, non faciat autem, deſtitutus occaſione, num par eſſet hunc nulla relata gratia contemptum abiicere? Dionyſio percontante, quis eſſet ille? Æſchines, inquit, vir morum ſanctimoniam cum quovis amicorum Socratis conferendus: & qui poſſit dicendo meliores reddere, cum quibus habet conſuetudinem. Is cùm huc multum maris emenſus enavigarit, ut ſuam philoſophiam tibi impertiret, hactenus neglectus eſt. Hæc tam commoda oratio effecit, ut rex & Platonem, cui prius erat infenſior, amplecteretur, & Æſchinem ſplendide, magnificeque tractaret. *Laert. l. 3.*

Hippodamus Pythagoreus, examinandos, probandoſque ſophiſtas eſſe dicebat, an ſecundum leges, & inſtituta civilia, idoneumque, ſeu proprium vivendi genus utilia proloquantur.
H Non mediocrem enim, inquit, ſed maximam infelicitatem hominum animis ſophiſtarum diſſertationes ingenerant: ſi quid auſi fuerint innovare præter commune judicium, in divinis, humaniſque rebus, quo admiſſo, neque veritas majorum, neque vita tutior, honeſtiorve futura eſt, ſed majori potius caligine, atque perturbatione involvenda. *Stob. Serm. 41.*

Diogenes, cuidam ſophiſticis argutationibus colligenti, quod Diogenes haberet cornua, frontem, & tempora manu contrectans: Atqui (inquit) ego non video. Maluit philoſophus irridere frivolum enthymema, quã ſoluere. *Laert. l. 6 c. 2.* Idem. Plato ſic definierat hominem: Homo eſt animal bipes, implume. Ei definitioni cùm diſcipuli Platonis applauderent, Diogenes gallum gallinaceum pennis, ac plumis nudatum produxit in ſcholam: En, inquiens, hic eſt homo Platonis, itaque definitioni adjectum eſt, latis unguibus, quod aves ejuſmodi non habent. *Laert. l. 6.* Idem, Sophiſta quidam volens apud Diogenem oſtentare acumen ingenii, hunc in modum ratiocinatus eſt: Quod ego ſum, tu non es. Cùm annuiſſet Diogenes, ego, inquit, ſum homo, igitur tu non es homo. Tum